ANNALES
HEBRAEO-TYPOGRAPHICI
SEC. XV

DESCRIPSIT
FUSOQUE COMMENTARIO ILLUSTRAVIT

JOH. BERNARDUS DE-ROSSI
LING. ORIENT. PROFESS.

PARMAE
EX REGIO TYPOGRAPHEO
CIↃ. IↃCC. XCV.

Aug. 14, 1858

30028

ERUDITO HEBRAICAE LITTERATURAE
AC BIBLIOGRAPHIAE CULTORI

JOH. BERNARDUS DE-ROSSI.

Constitueram jam pridem novos hos Annales hebraeo-typographicos XV seculi edere. Sed diuturna ac laboriosa variarum V. T. lectionum collatione infirmiorique valetudine impeditus, coactus sum illos ad hanc diem differre. Quo factum est ut et eorum Appendicem vel continuationem usque ad annum MDXX quam illis subtexere meditabar ac promiseram, ad aliud tempus amandemus. Quid iis praestiterim quidve novi ferant, quamquam brevi infra declaramus, non melius tamen intelligi arbitror quam si conferantur cum iis quos sub titulo Disquisitionis historico-criticae de hebraicae typographiae origine ac primitiis seu antiquis ac rarissimis hebraicorum librorum editionibus seculi XV novemdecim abhinc annis his iisdem regiis typis vulgavi, biennio post recusos Erlangae. Tot enim editiones hic accedunt antea ignotae et intactae, adeo mutata, emendata, aucta sunt omnia, ut priores illi, tot luculentis fontibus ac monumentis undique conquisitis tantaque adjumentorum copia superstructi, videantur nostrorum specimen evasisse. Quod si tanta quidem indulgentia ac benignitate opella illa a doctis est excepta quae lucem non exiguam afferebat huic provinciae, vix a doctioribus Hebraeorum ac Christianorum bibliographis delibatae, majori jam confidimus hanc fore excipiendam quae est multo plenior, accuratior et absolutior. Etsi ut verum fatear, ea est operis ratio ut quocumque studio, qua-

cumque ditiore suppellectile quae sane est apud nos maxima ac pene incredibilis (ex editionibus enim quas illustramus, binae solae vel tres nobis desunt certae fidei), quocumque praesidio freti manum ei admoveamus, nunquam tamen id assequi possimus ut editiones omnes complectamur quae xv seculo censendae sunt prodiisse. Multae namque perierunt, aliarum vix minima supersunt fragmenta, quaedam in latebris forte adhuc delitescunt, sero nimis vel etiam nunquam proditurae. Nobis satis est nulli pepercisse labori, diligentiae, industriae, impensae, ut omnes quotquot aetatem ferunt, eruerentur et recenserentur, multas detegentes ac vindicantes ab interitu vel oblivione quarum nulla vel fere nulla erat memoria, nihilque omittentes quod ad nostrorum Annalium perfectionem et integritatem conduceret. In tres autem partes eos dividimus, quarum altera editiones continet anno insignitas, altera eo destitutas, postrema supposititias, cunctas chronologico ordine apte dispositas, diligenter descriptas, fuso commentario historico-critico illustratas. Ac ne quidpiam ad illorum complementum desit, breviorem dissertationem praemittendam ducimus quae introductionis veluti vice et officio fungatur, variasque typographiae nostrae originis epochas, varias de iis auctorum opiniones, primos illius foetus, primas quae eam excoluerint urbes, primos artifices, harumque editionum oeconomiam, raritatem, praestantiam, usum attingat et illustret, ad calcem vero editionum et auctorum indicibus binos praeponendos typographorum, editorum et urbium quibus editiones ipsae hebraicae xv seculi debentur. Hoc est paucis institutum nostrae hujus lucubrationis quam eruditorum oculis ac judiciis subjicimus.

Parmae ex regia scientiarum Academia pridie id. oct. an. MDCCXCV.

DISSERTATIO PRAELIMINARIS

DE HEB. TYPOGR. ORIGINE AC PRIMITIIS EARUMQ. RARITATE PRAESTANTIA ET USU.

§. I

Typographiae laus. De hebraicae origine an satis accurate actum.

Quum multa ac praeclarissima sint hominum inventa, tum nullum est communi existimatione typographia praeclarius, nullum illustrius qua nostra omnia quotquot cogitatione vel studio assequimur, posterorum aetati transmittuntur, nosque ipsi qui commorandi diversorium a natura habemus, non habitandi, ad immortalitatem nitimur. Haec una ut rectissime asserebat Bodinus, cum omnibus omnium veterum inventis certare facile potest, digna de cujus inventione tot nobilissimae urbes certatim contendant, deque ejus origine, progressibus, auctoribus primisque conatibus splendide ac copiose disputent quamplures praestantissimi viri. Qui si tam accurate de hebraicis typis ac primigeniis hebraicorum librorum editionibus scripsissent, ut de latinis fecerant, vix ullus disquisitionibus nostris locus relinqueretur. Sed dolendum est summopere levissime provinciam hanc ab illis pertractari, etiam ab iis quorum studia vitaque omnis in horum librorum cognitione versata est, Buxtorfium intelligo, Plantavitium, Hottingerum, Scabtaeum, Wolfium qui hebr. vel rabbinicas Bibliothecas ediderunt, multa praetermitti quae erant referenda, multa ignorari deinceps detecta, quaedam praeverti, serius alia constitui, certa pro incertis obtrudi, falsa pro veris, eaque quae traduntur, tot esse tenebris involuta, tot aberrationibus commixta, ut doctioribus harum rerum scriptoribus nulla ratione constent vera hebraicae typographiae primordia ac raro prorsus antiquissima ejusdem monumenta, Judaeis ipsis non exceptis a quibus eorum res magni Augustini effato exquiri primum debent, sed sunt in secretiori hac patriae litteraturae parte Christianis minus accurati ac multo imperfectiores.

§. II.

Auctoris Disquisitio olim edita.

Quae quum ita sint, non inanem me rem, nec nostrae aetatis hominibus qui hoc eruditionis genere in primis delectantur, ingratam facturum annis abhinc novemdecim arbitratus sum, si de hebraicae typographiae origine ac primitiis Disquisitionem ederem historico-criticam, in qua argumentum istud diligentius expenderetur. Ac planiora quidem omnia nostro eo opusculo pro virium modulo ac tempore facta sunt, origo et incunabula hebraeo-typographica rectius constituta, monumenta haec studiose conquisita, feliciter reperta, plenius et accuratius illustrata, auctorum errores innumeri emendati, multae detectae editiones et additae illis ignotae, verae a supposititiis distinctae, libellus benigne a doctis exceptus, probatus, recusus, quin ullam vel minimam editionem ii adderent aut plura addi a meipso posse arbitrarentur. Absit tamen ut aliquantula hac laude contentus quam videbar adeptus, me sat voti mei compotem factum spartamque hanc dimittendam putarem, in quam vehementiori ego amore et incitamento ferebar.

§. III

Novi Annales hebraeo-typographici.

Majori contentione continuata et iterata sunt studia, novae ubique ac diligentiores disquisitiones factae, aliae plures editiones detectae antea incognitae, erutae quae novam, antiquiorem, veriorem prodant hebraicae typographiae originem, multae repertae solo nomine vel titulo notae, multa educta utrarumque exempla iis illustrandis utilia, non paucae ab oblivione vindicatae quarum memoria omnis intercidit vel in solis vetustis typographorum testimoniis et monumentis servatur, quae noscebantur, multo plenius ac diligentius descriptae, severiori trutina expensae, aptiori ordine dispositae, fusiori commentario historico-critico illustratae, supposititiae melius distinctae, rariores et unicae lectiones vel antichristiana loca uberius indigitata, allatae epigraphes fere omnes, etiam longiores, eaeque non latine modo sed hebraice et autographae, aerae rectius definitae, potissimum christianae quae judaicis respondent, editionesque omnes quae cadunt in quatuor primos menses anni judaici, ad postremos praecedentis christiani accuratius amanda-

tae. Solent namque bibliographi Judaeorum aerae, ut nostram eruant, integros annos 240 addere, licet annus judaicus a septembri incipiat, noster a januario, ac prohinde ille nostrum quatuor circiter mensibus antevertat ab iis communiter neglectis. Non modo autem peculiares typographorum, editorum, urbium, editionum, auctorum indices ad calcem appositi sunt, sed et praemissa praeliminaris haec dissertatio, in qua quae hebraicae typographiae ortum ac primitias, earumque oeconomiam, raritatem, praestantiam, usum respiciunt, ad breviora quaedam capita revocantur. Haec sunt quae in novis hisce Annalibus praestamus, qui ut supra diximus, aucti adeo sunt, mutati, emendati, ut priores illi an. 1776 nostrorum jam specimen videantur.

§. IV

De heb. typogr. antiquitate singularis Judaei scriptoris opinio.

Ac de hebraicae typographiae origine et antiquitate notanda in primis est singularissima Abrahami Arié opinio, eam Jobo, immo ipsius mundi creationi fere coaevam asserentis in Sciltè aghibborìm fol. 183 verso. „Ego autem, inquit is, cohibere me nequeo quin erroris accusem sapientes omnes nostrae aetatis. Nec enim verum est quod ii credunt typographicam artem esse rem novam quae praecedentibus seculis non extiterit, sed centum tantum circiter abhinc annis, ut dicunt, reperta. Ipsi vero nesciunt nec intelligunt שמלאכת הדפוס היתה גלויה לנו למאות ולאלפים של שנים וכמעט סמוך לבריאת עולם typographiae opificium pluribus abhinc seculis et annorum millibus notam nobis fuisse ac fere creationi ipsi mundi esse coaevam „. Quod non video quam luculenter colligi autumet vir, judaicarum caeteroquin antiquitatum scientissimus cujusque docti commentarii de templo, de suffitu, de vestitu sacerdotum hebraice ac latine Ugolini Thesauro inserti sunt, ex iis Jobi verbis XIX 23, 24, quibus sermones ipse suos in libro peroptat exculpi stilo ferreo ac plumbo, vel plumbi lamina, contendatque posterioribus hisce vocabulis quae ex accentu ac sensu conjungi vult, typographicam artem manifeste innui. Aliud namque est ferreo stilo super plumbeis tabulis exculpi litteras, quod receptissimum apud veteres scribendi genus videtur Jobus intelligere, aliud longe characteres incidi chalybeos, tum cudi aere, ex aereis formis plum-

beos fundi, ex iisque fusis, connexis, atramento obductis superposita charta vel membrana libros imprimi, in quo totum illud situm est typographiae artificium quod omnium primi in Europa invenerunt vel certe adhibuerunt Faustus et Guttembergius. Hoc in impressione potissimum consistit, vetustissimum illud in sola חקיקה seu sculptura, ut Jobus ipse designat.

§. V

Heb. typogr. origo an ad an. 1428 *vel* 1461 *referenda.*

Alii equidem saniori consilio heb. typographiae tempora minus praevertunt, propius ad ea accedentes, sed tamen praevertunt et a veritate et ipsi longe aberrant. Quis enim cum Josepho Coèn ac Boxhornio ad annum 1428 referat ejus originem, supposititiaeque editioni et aerae innixus ea aetate coeptos cum la Caille credat hebraicos typos qua communi sententia inventa non erat ars typographica? Conferantur quae de Josephi testimonio falsaque ejus anni editione suo loco animadvertimus. Nec scio qua fide Buxtorfius, vir hebraica eruditione clarissimus, anno 1613 quo rabbinicam Bibliothecam edidit, conscribere potuerit p. 302 Josephum Scaligerum heb. Grammaticam R. Mosis Kimchì habuisse in Sicilia impressam ante annos centum quinquaginta duos, anno scilicet 1461. Etenim ipsissimum Scaligeri exemplar reperitur in bibliotheca Lugduno-batava, diciturque in edito ejus Catalogo „ editio tertia Ortonae in Sicilia tempore Caroli imperatoris „. Ergone anno 1461 quo nondum in Italiam ipsam invecta adhuc fuerat typographiae ars (mendosa est enim aera Decor puellarum illius anni), in Aprutium, ubi urbs illa quaerenda est, vel in Siciliam usque ea penetraverat, tamque defixam illic posuerat sedem, ut tres ea aetate perfectae reperirentur illius libri editiones? Mirum est quot hallucinationes, confusis praecipue Carolis, Scriverius, Chevillerius, Buxtorfius, Heinsius, de Dieu, Wolfius aliique auctores in celeberrima hac memoranda, cujus bina apud nos extant exempla, editione commiserint. Eas nos infra, de falsis editionibus acturi, detegemus, ac luculenter demonstrabimus tantum abesse ut eo anno absoluta sit, ut potius ad XVI sec. initium sit necessario referenda. Quod idem de aliis quibusdam editionibus quae perperam proferuntur dicendum est.

§. VI

Heb. typi num ab Aldo vel Bombergio primum adhibiti.

Itaque quum ad posteriorem aetatem necessario amandandus sit hebraicorum typorum usus, adeone serius eum statuemus ut Aldum Manutium primum esse arbitremur qui eosdem adhibuerit? Unus est quod sciam, in hoc insigni defendendo anacronismo Bernardus Mallincrotius, quem miror, auctorem in ortum ac progressum artis typographicae studiose inquirentem, tot hebraicorum librorum editiones latuisse quae antea prodierant. Minima enim sunt prorsus, ut notat Maittairius, seriorisque valde aetatis quae Aldus XV seculo hebraice excudit, nimirum pars versus Psal. LXV in Politiani operibus an. 1498, et lineolae quaedam in Hypnerotomachia an. 1499, nec praeter alphabetum et hebraica quaedam, quibus legere tyro condiscat, in Lascaris Grammatica an. 1512 expressa, alia dedit, licet plura meditaretur ac promiserit, vitam habens conatibus suis multo breviorem. Verum in hac re turpius adhuc peccant qui laudem hanc tribuunt Bombergio, omissisque atque ignoratis tot editionibus sec. XV, tamquam primariam Venetam quamdam statuunt anni 1511 quae numquam extitit. In horum numero est Ganzius in Tzemach David fol. 43 verso, Ghedalias ben Jachia in Scalscèled akkabbalà fol. 116 pariter verso, et R. Jechiel fil. Salomonis, recentissimus Judaeorum bibliographus, in Seder adoròth an. 529, seu 1769 Carlsruhae edito fol. 62, ex Christianis vero Basnagius, qui priores illos auctores temere, ut videtur, secutus, primum hebraicorum librorum editorem Bombergium constituit, primaque hebraica Biblia eo anno excudisse, Soncinenses vero qui circa finem sec. XV seu anno 1490 ex Spira in Italiam venerant, dum Venetiis Bombergius typographiam exercebat, suam erexisse Soncini. V. Hist. Jud. vol. XIV p. 879 et 885. In quibus tot ferme errores, quot verba.

§. VII

An a Soncinatibus anno 1484.

Longe aliter sentiunt auctores reliqui qui utrumque extremum devitantes, Soncinates suspiciunt ut primos hebraeorum typographos, ac Soncinum Mediolanensis ducatus oppidulum, tamquam primariam hebraicorum typorum sedem, ubi anno 1484 Mivchàr appeninìm, primum eo-

rum sententia artis specimen, fuit excusum. „ Ex hoc oppido, inquit Bartoloccius tom. I pag. 432, primo prodierunt in Italia impressores librorum hebraicorum „. „ Annus hic, ait Maittairius, meruit maxime celebrari, quod tunc Soncini Judaeorum typographorum Italorum opera heb. characteres lucem primum adspexerint „. „ Nec minoris, subdit Saxius, momenti est ad amplificandam urbis nostrae gloriam, quod apud nos enata quoque sit heb. codicum typographia. In Soncini enim oppido Mediol. ditionis primo inventi adhibitique sunt characteres illius idiomatis „. Haec etiam Loescherii, Chevillerii, Orlandii aliorumque opinio. Quae quantum a veritate recedat, ex nostro hoc opere patet amplissime, in quo xxvii circiter editiones proferuntur quae Soncinenses omnes certissime praecesserunt. Quid ad haec si viveret, Saxius Mediolanensis gloriae acerrimus vindex, qui aegre adeo tulit sibi unam editionem opponi, nec unquam passus est se a priori sententia divelli? Nec porro si Soncinensibus quidem typis primatus esset concedendus, eum liber ille Mivchàr appeninìm obtineret. Praecessit enim Tract. Beracòth illius anni, ut nihil de editione dicam Arbà turìm anni 1481, quam nonnulli auctores memorant, sed nos falsam judicamus.

§. VIII

An Bononiae anno 1482.

Verum quum repertus deinde esset Pentateuchus Bononiae impressus an. 1482 qui duobus annis primam Soncini editionem superabat, heb. typographiae primatui quem communi consensu illi auctores Soncino vindicabant, Pent. hunc Maffejus atque emin. Quirinius invictissime objecerunt. Quorum quidem adserto nemo obstitit, uno excepto Saxio qui nihil intentatum reliquit ut sartam tectam laudem hanc patriae servaret. „ Quamvis gratuler, inquiebat ipse, eruditissimo viro (Maffejo) de hac nova typographica merce in lucem educta, minime tamen dimoveor a concepta sententia. Facile enim reponi potest editiones Soncini quae anno signatae ad nos pervenere, esse quidem Bononiensi hac recentiores, sed non ideo hinc evinci quod eo tantum tempore cudi coeperint heb. characteres in oppido Soncinensi. Cum autem scriptores omnes constanter asserant Soncini enatam dimissamque per Italiam et Germaniam heb. typographiam, nec ullus editioni Bononiensi subscriptus

opifex (cui haec gloria primaevae inventionis cedat) a marchione Maphaeo proferatur, perspicue quisquis intelliget non ex alia officina quam Soncinate repetendum esse typographum qui Bononiae eo anno memoratum librum excudit. Sed cur digladiamur in tenebris ubi facem clarissimam nobis praefert R. Ghedalia in suo libro inscripto Scialscheleth hakkabalà, qui tempus statuit quo imprimi coepere heb. libri, nempe annum mundi 5240 qui aerae nostrae est 1480 adeoque biennio ante heb. librum a clar. Maphaeo productum „? Quod quum non tanti esse roboris arbitraretur Quirinius, ut actum censeri deberet de eo principatu quem Maffejus Bononiensi Pent. adscribebat, iterum reposuit Saxius „ non agi controversiam de anno quo primum adhiberi coeperint heb. characteres in cudendis linguae illius codicibus, sed de loco in quo primum inventi, consensu omnium Judaeis Soncinatibus gloriam hanc tribui, quocirca affirmandum praemissos fuisse Bononiam e gremio illorum opifices qui in urbe illa primos conatus exererent „. In quo quam crasse hallucinaretur, vidisset sane vir pristinae opinionis tenacissimus, si editionem ipsam Bononiensem consuluisset, in qua apertissime exprimitur typographus, et is quidem Pisaurensis, non Soncinas. Quid autem valet scriptorum consensus ante detectum Bononiensem Pent. loquentium, eaque aetate qua Soncinenses editiones primae habebantur? Quod ad Ghedaliam tamen spectat, falsum est ab eo eum annum constitui, falsoque ac perperam id a Bartoloccio, Chevillerio ac Wolfio creditur et traditur, quos temere sequitur Saxius. Ghedaliae verba indefinita sunt, בדור הזה „ hac aetate vel seculo orti sunt Soncini, qui per multos annos substiterunt multosque libros heb. non sine insigni Israelis utilitate impresserunt „ et si ea quidem de definito anno sumenda essent, referri deberent ad 261 seu 1501 qui proxime praecedit, non ad remotiorem 240. Nec asserit is eo anno Soncinos libros cudisse aut cudere coepisse, aut primos nationis suae typographos eos fuisse, in quo paullo ante vidimus eum aliter sentire maleque laudem hanc Bombergio tribuere longe posteriori.

§. IX

An Plebisacci anno 1478.

At dum haec disputabant summi viri, non noverant editionem

Arbà turìm seu IV ordinum R. Jac. ben Ascèr quae jam ab an. 1478 Plebisacci facta perhibebatur, etsi non solum eam memoraret Wolfius fuseque describeret ex duobus ordinibus quos sero fuerat consecutus, sed et ea tamquam invicto argumento uteretur, ut veram heb. typogr. originem non a Soncino, sed a Plebisacco Patavinae ditionis vico repetendam esse adversus communem opinionem evinceret. „ Neque enim, inquit tom. III pag. 446, memini me unquam antiquius exemplum libri heb. a Judaeis editi vel vidisse, vel ab aliis certa fide legisse commemoratum „. Qua Wolfii auctoritate sat secure uti se posse credidit Foscarinius, ut Venetae ditioni decus primae heb. typogr. tribueret, recte animadvertens Plebisaccense illud opus tum Bononiensis Pentat., tum Soncin. omnium librorum editionem praecessisse. Nec porro Foscarinius solus, sed et quotquot Wolfium secuti sunt, doctiores bibliographi in eandem sententiam concesserunt.

§. X

Gersonidis Com. Job 1477 pro primo heb. typ. foetu olim ab auctore habitus.

Jam vero qui dicere poterat Wolfius antiquius se exemplum libri heb. nec vidisse, nec ab aliis certa fide legisse commemoratum, qui viderat a Bartoloccio commemorari Gersonidis Com. in Jobum an. 1477, qui eum in Oppenheimeri bibliotheca conspexerat, qui illum bis disertissime protulerat? Oblitusne ergo est vir cl., dum ea scriberet, hujus editionis, cujus nunquam meminit in heb. typ. originibus illustrandis, an vero habuit tamquam sublestae fidei aeram illam quam testatur in Oppenheimeri exemplari defuisse? Sed quare hanc in titulo quaesivit, quo editiones XV seculi, maxime antiquissimae, carebant, aut quomodo carere ea dici potest, si integram statim subjicit epigraphem quae ad calcem legebatur, annumque evidentissime designabat, ex unius tamen litterulae confusione in praecedentem 1476 mutatum? Quod si indubiae fidei est aera et editio, cur Bartoloccius eam et ipse omittit ac negligit, ubi heb. typ. primordia illustrat? Cur negligunt posteriores omnes ac doctiores bibliographi, qui in vindicanda Soncino vel Bononiae vel Plebisacco heb. typorum origine conveniunt? Dum haec ipse mecum disputabam et anceps veluti haerebam quid de hac editione statuerem, commodissima ac

peroptata diu mihi objicitur illius acquirendae occasio, immo vero et acquirendi Psalt. ipsissimo anno editi. Non uno itaque, sed duobus libris posteriorem esse certissimo mihi argumento constitit Plebisaccensem illam editionem, cui communi post Wolfium judicio primi deferebantur heb. typogr. honores. Quamobrem quum non extaret detectusque esset liber hoc Gersonidis Commentario antiquior, eum nos olim tamquam primum heb. typographiae foetum constituimus.

§. XI

Jac. ben Ascèr Orach chajìm Mantuae excusus an. 1476 detectus.

Sed brevi mutanda fuit sententia. Etenim quum an. 1778 investigandarum antiquissimarum editionum ac mss. codicum caussa Romam peterem, primum vidi in bibliotheca Casanatensi, deinde vero acquisivi binos priores Ordines R. Jac. ben Ascèr antea incognitos, quorum alter seu Orach chajìm Mantuae ab Abr. Conato an. 1476 erat excusus, alter Jorè dehà Ferrariae paullo post ab Abr. ben Chajìm, uterque eadem forma iisdemque vel similibus typis ut dubitandum non esset, quin ad unam eandemque editionem ambo pertinerent, in una civitate coeptam, in altera continuatam. Itaque in annum hunc graecae typographiae primordiis jam celeberrimum, etiam hebraicae originem referendam duximus in Com. de typ. hebraeo-ferrariensi quem Parmae edidimus anno 1780. Atque in nostro hoc quidem judicio posteriores bibliographi acquieverunt.

§. XII

De heb. elementorum specimine in Eslingensi Nigri Tract. an. 1475.

Quaedam autem verba jam anno praec. 1475 in Nigri Tract. contra Judaeos Eslingae per Conradum Fyner eo anno edito hebraice comparuerant. In hac namque rariori editione quamquam hebraica latinis litteris indicentur, ut titulus innuit, nomen tamen Dei ineffabile יהוה, binae primae Geneseos dictiones בראשית ברא et ad calcem alphabetum heb. hebraico charactere expressa sunt, Wolfio teste qui fuse librum describit T. II pag. 1115. Quamobrem hoc tamquam primum heb. characterum specimen a multis habitum est, hicque liber tamquam omnium primus in quo ii visi fuerint. Haec eadem heb. elementa duobus post annis iterum adhibita sunt in ej. Nigri Stella Messiae quae in eadem urbe germanice prodiit an. 1477.

V. Wolf. tom. IV pag. 531 et Avrivillii Biblioth. sect. I p. 61.

§. XIII

Hebr. typographiae originis laus num Italiae an Germaniae debeatur?

Sed pauca ea verba vel alphabeti litterae pro quodam typorum specimine eoque imperfecto haberi quidem possunt, pro prima heb. typographiae origine primoque ejus foetu non possunt, sicque habuerunt docti omnes qui summa consensione hanc Italiae laudem concesserunt. Unus excipiendus est Wolfius, qui Eslingensi illo Nigri Tractatu utitur, ut ostendat eam deberi Germaniae. Referens enim tom. IV p. 450 verba, quae verissime in hanc rem scripserat Maittairius, „ Italiae merito gratulandum esse, quod illic primum et graeca et hebraea, uti ortum habuit, ita deinceps maxime inclaruerit typographia „ „ Nec dici potest, subdit, in Italia primum heb. typogr. ortum habuisse . . . . Mihi quidem ut inventae typographiae origines Germaniae nostrae in universum, ita hebraicae speciatim deberi videntur. Nam ipsi illi Judaei Soncinates, qui vel primi, vel primis proximi in Italia periculum typ. heb. fecerunt, genus suum ad Judaeum Germanum, Mosem scilicet Spirensem, referunt, et in ed. codicis Beracòth Soncinatensis an. 1484 curata, appellatur Gabriel ben Aaron שטרשבורג *Strasburg*, idest Argentoratensis. Vide vol. II pag. 941 et 957. Itaque verisimile omnino est, Judaeos ortu Germanos artis hujus rationes et usum in heb. libris exscribendis secum ex Germania in Italiam asportasse. Accedit in Germania libros esse excusos, heb. literarum formas referentes, ante illam aetatem qua in Italia heb. libros impressos esse modo intelleximus. Habeo enim in manibus Petri Nigri Tract. contra perfidos Judaeos Eslingae 1475 4. majori (est in fol. minori) editum, in quo nonnulla heb. formis descripta legi vol. II p. 1115 ostendimus. Jam vero nullus hactenus allatus est liber heb. in Italia impressus, qui an. Chr. 1475 antecedat „.

§. XIV

Wolfii momenta examinantur.

At facile et paucis haec refutari queunt. Soncinates erant quidem ex Spira oriundi et origine Germani, sed diu ante inventam typographiam degebant Soncini et Itali evaserant. Quod et nomen ipsum familiae *Soncinorum* demonstrat, quod ab oppido ipso longe ante assumpse-

rant. Nec ii dici possunt primi vel primis proximi, qui in Italia hanc artem exercuerint. Plures eos praecesserunt, natione et genere Itali. Gabriel Strasburg typographus non erat, sed litteratus qui calculo sùo editionem illam probavit, nec dicitur is de Strasburg, sed Strasburg, nomine videlicet, non patriae, sed familiae, quod ostendit majores ex ea urbe fuisse, non nepotes. Jam vero nec Gabriel ipse, nec Soncinatum ullus, dici ulla ratione vel conjectura potest ex Germania venisse, et hanc artem detulisse. Nec id necessarium, quia Itali Judaei ex Italis typographis, qui ubique creverant, hancque artem diu in multis Italiae urbibus exercebant, ejus artificium poterant addiscere. Perpauca autem vocabula, vel minima, ut Wolfius ipse ea appellat tom. I p. 941, litterarum heb. vestigia, quae in Nigri Tractatu occurrunt, primam heb. typographiae originem et epocham constituere nunquam poterunt. Ut graecae typ. primordia a primo libro graece impresso desumuntur, non a quibusdam vocabulis, vel textibus qui in praecedentibus editionibus sparsi conspiciantur, idem de hebraica dicendum. Tantum autem abest ut hanc Italiae laudem Germania possit praeripere, ut nullus in ea liber hebraice excusus sit toto XV sec., ac primus sint Psalmi poenitentiales, qui apud nos extant, rudibus plane typis an. 1512 Tubingae editi. Ita multo post quam in Italia non solum nata, sed provecta, dilatata, ad summum splendorem et perfectionem elata erat heb. typographia, in Germania nasci incipiebat, ac tenue et rude paucorum foliorum tentamen exerere. At vero quoniam petit Wolfius librum sibi produci eo specimine antiquiorem, illum jam producamus, ac demonstremus eodem ipso an. 1475 quo pauca ea vocabula vel litterae heb. Eslingae prodierunt, bina in hac lingua integra et insignia opera in Italia nostra lucem vidisse.

§. XV

Ignota Jarchii editio Regii Calab. 1475 detegitur, Plebisac. vero esse ej. anni.

Vix a primis illis heb. typ. monumentis in lucem eductis pauci effluxerant anni, quod mihi novum detegere et acquirere conceditur, illis illustrius et antiquius, Jarchii nimirum Comm. in Pent. Abr. ben Garton opera an. 1475 Regii Calabriae excusum, bibliographis omnibus ignotissimum. Huic ergo editioni quae antiquitatis palmam re-

liquis omnibus praeripit, heb. typ. primatus deferendus jam est, hicque liber pro primo habendus certae aerae hebraice impresso. Cui invento aliud accessit in re nostra gravissimum. Quandoquidem resumens prae manibus editionem Plebisaccensem Arbà turìm ac litterarum formam diligenter examinans ac conferens, reperi in aera designanda litteram quae prima fronte ה videbatur talisque a cunctis fere bibliographis habita erat, esse certissime ה, seu an. 235, ac prohinde eam non ad 1478, ut hucusque factum fuerat, sed ad 1475 referri oportere. Sic duo hujus anni libri innotuerunt Mantuano illo 1476 anteriores. Ex hisce autem duobus prior posteriorem IV mensibus superat, quot videlicet a die X adar quo is lucem vidit, ad XXVIII tamuz, quo posterior, seu a fine februarii ad julii initium intercesserunt. Superat et III mensibus Eslingense illud specimen quo tantopere gloriatur Wolfius, quod completum dicitur ad calc. die VI junii. Contra posterior quum IV voll. constet in fol. et triplici typorum genere, dubitari vix potest quin parari et imprimi coeptus sit ante primum qui nonnisi uno volumine absolvitur et uno charactere.

§. XVI

Primae ac praecipuae urbes XV seculo heb. typographia celebres.

Itaque si ratio habeatur temporis, quo heb. typi ac libri primum in lucem comparuerunt, Regium Calabriae prima est ordine urbs, in qua id factum sit, si temporis quo primum inventi, formati, adhibiti, hanc sibi gloriam Plebisaccum videtur vindicare. At vero vix in primis hisce urbibus illi lucem viderant, quod evanuerunt, quum unica illa editio utrobique facta reperiatur. Proxime succedunt Mantua, Ferraria, Bononia, et anonyma ea urbs, quae tot editiones peperit sine an. et loco. Sed nulla est, quae heb. editionum copia cum Soncino ac Neapoli contendat. Magno enim numero intra brevissimum quinque vel sex annorum intervallum ex iis emerserunt, quae praestantia, usu, raritate commendantur. Ac Soncinenses quidem, olim celebratae ut omnium principes, Neapolitanas aetate praecesserunt, sique non exigua est Bononiae laus, quod primum Pentateuchum ediderit, Soncini est maxima, quod illic prima Biblia lucem adspexerint, ac Neap. ipsae editiones quae habentur ceteris splendidiores, ut Miscnà et Bi–

blia sine an. et loco, Soncinensi typographo debeantur. Suum stat et Brixiae decus, potissimum ob integra Biblia lectionis varietate insignia ac Soncinensibus ipsis rariora. Suum, illudque maximum, Ulyssiponi ac Leiriae, ob summam typorum elegantiam ac correctionem, qua earum editiones nobilitantur ac reliquis omnibus praestant.

§. XVII

Primi ac celebriores XV seculi Hebraeorum typographi.

Ex antiquissimis Judaeorum typographis bini, Abr. ben Garton et Mescullam Kozì, primatus honorem promeriti sunt, qui eodem tempore et anno 1475, alter quidem Regii Calabriae, alter Plebisacci, prima artis a se meditatae tentamina primosque foetus ediderunt. Sed primus qui unius tantum vol., seu unius Rascii Com. in Pent. editionem moliebatur, uno eoque rabbinico ac rudi charactere exequendam, eam citius absolvit, posterior qui IV voll. seu IV Jac. ben Ascèr Ordines edendos susceperat, tribusque diversis typis quadratis et elegantioribus, eos IV mensibus retardavit. At IV mensium mora tribus voll. in fol. excudendis non sufficit, quot Plebisaccensis editio Regiensem superat, adeoque credendum est Plebisaccensem artificem eorum impressionem ante Regiensem suscepisse, praesertim cum ejus mors intercesserit, quae solet operarum intermissionem secum deferre. Igitur Abr. ben Garton primus est qui artis specimen ediderit, sed Mescullam Kozì primus videtur qui eam exercuerit. Anno sequenti floruit Mantuae Abr. Conatus, Ferrariae autem Abr. ben Chaiìm Pisaurensis, qui et paullo post Bononiam, deinde Soncinum vocatus est, ut splendida utrobique ederet artis et ingenii sui monumenta. Floruerunt et prima illa typographiae aetate Obadias, Manasses ac Beniamin de Roma, quibus debentur quadratae editiones sine an. et l., et Chaiìm, Mardochaeus et Ezechias Montro, qui anno 1477 prima sacri textus editione nomen suum immortalitati consecrarunt. Inter eos autem qui postea vixerunt, nominandi sunt, ut ceteris celebriores, Josuas Soncinus, qui hujus familiae primus heb. typographiam in patria, deinde vero Neapoli excoluit, Gerson fil. Mosis Soncino, cujus cura ac studiis hoc sec. Soncini, Casali majori, Brixiae, Barci, in. vero XVI Fani, Pisauri, Arimini, Ortonae, Thessalonicae ac CPo-

li plurima hebr. opera prodierunt, quae Soncinorum nomen ac famam tantopere evexerunt, tum et Zachaeus Ulyssiponensis, cujus beneficio elegantissima et accuratissima debetur Pentateuchi editio.

§. XVIII

Heb. edit. XV sec. ratio et oeconomia.

Eadem autem fere est heb. editionum ratio et oeconomia, quae latinarum aliarumque linguarum. In antiquioribus, quae an. 1480 antecedunt, charta crassior ac firmior, margo amplior, nulli tituli, numeri, signaturae, custodes, in quibusdam nullae initiales. In reliquis adsunt haec, non tamen omnia in omnibus nec eodem modo. Tituli in paucis comparent. Exempla non multa, chartacea pleraque, quaedam membranacea et elegantissima, atramentum nigerrimum ac lucidum, typi multiplicis formae, quadrati, rabbinici, quadrati hispanici, italici, germanici, qui latinis nostris rotundis ac gothicis respondent, rabbinici communes et hispanici, seu orientales, saepe et semirabbinici seu mixti, majores item, minores, minimi, rudes, elegantes, initiales saepe duplices, ornatae ac ligno exculptae, tituli ligneis ornatibus condecorati, typogr. notae variae, varia abbreviandi ratio, epigraphes modo appositae, modo omissae, pleniores aliae quae typographum, locum, annum, mensem, diem designant, aliae breviores, aera in iis judaica constanter adhibita, modo major, modo minor, modo numericis litteris, modo sacris verbis expressa. Libri autem omnis generis suscepti, biblici, liturgici, talmudici, morales, juridici, historici, philosophici, grammatici, medici, editiones fere omnes ex mss. haustae, mss. codices saepe plures assumpti, generatim integri, ac bonae notae, hinc editiones ipsae integrae, multis locis refertae, quae in sequentibus non comparent, in hoc tamen aliae aliis pleniores, fere omnes optimis variis lectionibus plenissimae, a doctis correctoribus emendatae, qui saepe ad earum commendationem varii generis carmina subjiciunt.

§. XIX

Heb. editionum XV sec. summa raritas. Pretiosa auctoris earumdem collectio.

Cum rarissimi recepto bibliographorum canone jure habeantur quivis libri sub ipsa typographiae incunabula excusi, tum maxime hebraici habendi sunt, qui multis de caussis videntur ceteris rariores. Paucissimae enim

ea aetate heb. typographiae erectae sunt, quae brevi perdurarunt, pauci editi libri, pauca impressa exemplaria, chartacea pleraque, quorum maxima statim undique ob grave mss. codicum pretium a Judaeis facta est conquisitio, maximus ubique usus et consumptio. Saepe exempla ipsa quae aetas et tempus edax servaverant, fatum aliud experta sunt, subjeceruntque peculiari illi judaicae nationis consuetudini vetustos quosque, mutilos, detritos libros sepeliendi, quae ut infinitos optimos mss. codices, ita et pleraque pretiosissima nascentis artis typ. monumenta miserrime perdidit. Quae ad Christianorum manus devenerant, ea evaserunt quidem istud fatum, et integra ac nitida ad nostra haec tempora delapsa sunt, sed ea tam exiguo sunt numero, ut inter prima ac rariora bibliothecarum cimelia sint numeranda. Quaedam solo membranae quae non tam facile absumitur et conteritur, beneficio ad nos emanarunt. Singulari sane harum editionum raritati luculentissimum testimonium reddidere eruditi Lipsienses, le Longius, Wolfius, Quirinius, Vogtius, Burius, David Clemens, aliique qui rariorum librorum indices consarcinarunt. Maittairius ipse, qui in illustrandis Annalibus typ. diligentissimam operam posuit, testatur se paucissimas vidisse, et paucissimae profecto extant in instructioribus principum bibliothecis, etiam in iis quae heb. codicibus magis abundant. Sunt enim editiones nostrae mss. ipsis multo rariores. Quod porro ii viri auctoritate sua plenissime comprobant, experimento ipse didici in ea assequenda pretiosa collectione quam possidemus. Nec enim nisi diuturnis et incredibilibus laboribus, curis, studiis datum nobis est eam consequi, nec eadem omnes felicitate. Plerarumque integra felicissime corrasimus exempla sive chartacea, sive membranacea, saepe plura vel usibus nostris retenta vel amicorum votis humaniter concessa, ad quorum classem referenda potissimum sunt quotquot Crevennianam bibliothecam, modo sub hasta divenditam, exornabant ac minori illius Catalogo continentur. At vero nonnullarum vix unum illudque mancum sumus adepti, quarumdam vix exigua fragmenta, omnium tamen seriem adeo integram ac perfectam, ut vix binas vel tres indubias desideremus, videlicet Ordinem deprecationum an. 1487 et Tractatus Betzà et Chedu-both Soncini impressos.

§. XX

Editionum XV sec. praestantia et usus.

Antiquissimas porro editiones XV sec. non tam propter maximam raritatem, quam eximiam praestantiam, utilitatem et usum magni faciendas esse ac mss. aequiparandas doctiores omnes philologi ac critici consentiunt. Quum ex mss. ipsis immediate plerumque haustae sint, idem est pretium, idem usus, eadem auctoritas et fides. Hinc avidissime ab omnibus conquiruntur, inter pretiosiora bibliothecarum cimelia collocantur, primariae potissimum et antiquiores, studiose a doctis conferuntur et illustrantur, accurate examinantur earum dissidia, variaeque earum lectiones diligentissime eruuntur ac maximi fiunt. „ Editiones quae in primis rei typ. incunabulis prodierunt, inquit Cavius, ex optimis quibusvis mss. expressae sunt, adeo ut desideratis jam plerisque codicibus mss. editiones istae non immerito mss. vicem supplere possunt „. Quamobrem „ earum auctoritatem aliis omnibus esse praeferendam statuit Maittairius, quippe quae sola mss. fide nitatur „. Cui judicio perperam se opposuit Marchandus, contendens earum plures ex mendosis depravatisque codicibus perfectas fuisse, corruptasque insuper typographorum inscitia, qui inventum celantes, inconsultis doctioribus, suo tantum, ut ait Schelhornius, judicio utebantur. At vero quum descriptores omnes illud in primis in exscribendis codicibus caverent, ut correctis et accuratis exemplaribus uterentur, qui primum factum esse putat Marchandus, ut typographi artem adhuc suam celantes, pessimos sibi codices exarandos inconsulti susciperent? Ponamus suscepisse. Diu ne inventum celarunt, ut inconsultis doctioribus suo tantum judicio uterentur? Esset ergo vitium nonnullarum tantummodo editionum, quae primis inventae typographiae annis perfectae sunt, immo esset unius editionis Bibliorum, quae primum inter an. 1450 ac 1455 Faustum et Guttembergium edidisse putant eruditi, ac tamquam mss. venditasse. Quidquid vero de ea sit, detectum deinceps artificium, typographos adauctos, doctiores consultos, bonae notae codices delectos, aptissimos correctores adscitos editiones ipsae luculenter produnt.

§. XXI

An hebraicae sint accuratae?

Produnt sane hebraicae, quibus saepe ad calcem adnectitur,

quandoque typographi, quandoque correctoris vel docti editoris admonitio, in qua editiones ipsas summo se studio ac diligentia correxisse testantur. Ex iis solis quae ulla insigniuntur epigraphe, saltem viginti, quarum agmen ducunt Pent. Bononiensis 1482 et Tract. Beracòth an. 1484, collati hujus studii fidem faciunt amplissimam. Quod tamen non idem ab omnibus, nec in omnibus collatum est. Sunt inter eas accuratissimae, sunt minus accuratae, sunt mendosae, ut sunt inter mss. codices, quorum menda si eorum praestantiae, usui, auctoritati non obstant, quare obstabunt auctoritati et usui antiquarum editionum? Etenim accuratiores ipsi codices meliorisque notae erroribus non sunt immunes, ut recte monet ad sui excusationem Soncinensis typograph. priorum Proph. 1486, ac librum ullum reperire sine errore aut mendo miraculum quoddam est. Consuevisse porro singulos Hebraeorum typographos, ut ceteras nationes, suos apud se correctores habere, manifeste patet ex Neap. Agiographis an. 1487. Attendenda est autem mss. codicum, quos editiones exprimunt, ratio et conditio, et ex hac de earum praestantia, utilitate et usu judicandum.

§. XXII

An ex optimis codicibus expressae.

Ex praestantibus vero codicibus ac bonae notae generatim vetustas ac primarias nostras editiones esse haustas, ex duplici fonte constare olim a nobis animadversum est, videlicet tum ex typographorum et correctorum testimoniis, tum ex facto ipso et conditione editionum. Atque ea quidem testimonia aperte praeseferunt Orach chaiìm anni 1485, Prophetae priores 1486, Nachmanidis Comm. et Maimonidis Jad an. 1490, et editio ipsa Psalt. 1487, in qua ad sui excusationem conqueritur corrector accuratos codices non fuisse repertos, prodit eos fuisse studiose conquisitos, confirmatque receptam editorum ejus aetatis praxim eligendi correcta archetypa. Vide annotata ad illud Psalt.. Sane si id faciebant in conscribendis mss. amanuenses, a fortiori in iis typis vulgandis facere debebant typographi. Verum quid testimoniis istis egemus, quae pendent ex aliorum judicio saepe incerto et fallaci? Saepe namque qui bonae notae codex uni videtur, non videtur alteri, qui Judaeo optimus, is Christiano critico deterior, ille ex secundario et im-

perfecto sacrae criticae fonte, hic ex aliis iisque magis authenticis judicat. Nonne editiones ipsae per se si consulantur, archetyporum codicum conditionem manifeste demonstrant? Itaque earum textum diligenter examinemus, probemus lectiones ad antiquas versiones quasi ad lapidem lydium, conferamus cum antiquis qui supersunt, codicibus, et ex earum consensione vel discrepantia judicium feramus. Ii enim codices praestantiores meliorisque notae, ut alibi observavimus, habendi sunt, qui probatiores et antiquiores tuentur lectiones, et cum vetustissimis Samaritani textus vel antiquorum interpretum codicibus magis cohaerent. Si cum iis consentiunt nostrae editiones, si optimas, antiquas, probatissimas servant lectiones, dicendum est eas ex antiquis bonaeque notae codicibus fuisse derivatas.

§. XXIII

Variar. lectionum nostrarum editionum praestantia.

At vero experimentum istud faustissimo omine tum a Judaeis, tum a Christianis criticis captum est, editiones collatae, patefacti uberrimi sacrae criticae fontes, immanis ac praestantissima variarum lectionum copia detecta et eruta, earumque consensus cum accuratioribus ac vetustioribus codicibus plenissime demonstratus. Ex Judaeis Norzius in critico Com., quod Minchad scai inscripsit, ad editiones nostras XV sec. saepe appellat, saepe ex iis lectionis varietatem producit, earum auctoritatem et fidem exaequat auctoritati et fidei mss. codicum, et quidem מדוייקים *accuratiorum*, eaque utitur, non solum ut variantes lectiones hodiernis opponat, sed ut hodiernas ipsas illis emendet ac suppleat. At multo plenius et illustrius reconditos antiquarum editionum thesauros criticumque earum usum pandunt binae Christianorum collationes, quae nostris hisce diebus lucem viderunt, Kennicottiana ac nostra, in quibus nobilissimum eae locum inter praecipuos sacrae criticae fontes obtinent. Quam immensa in iis et incredibilis optimarum variarum lectionum seges ex editionibus nostris deprompta, et mss. codicum notae eximiae veterumque interpretum auctoritate confirmata!

§. XXIV

In egregiis servandis var. lect. unicae.

Nos ab afferendis exemplis supersedemus, lectoremque ad utramque eam collationem aman-

damus, nostram potissimum, in qua antiquae editiones non modo sub suis titulis clarius distinguuntur, sed et plenius et accuratius examinantur. Nullam fere paginam reperiet, quae criticum earum usum, utilitatem, praestantiam non evincat. Non possumus tamen, quin ad uberiorem nostrarum editionum laudem notemus in tanta variarum lectionum copia non paucas reperiri egregias, in quibus servandis eae sunt unicae. V. praesertim Judic. xvii 8, ii Sam. xiv 31, et xv 19, ii Reg. xxiii 36, Isai. xvi 10, xxxiv 16, xlviii 14, Jerem. xviii 7, Sophon. i 1, Habac. iii 5, Psal. ii 9, xxii 10, Prov. xiii 19, et Job iv 6. Mirum porro est esse in earum numero etiam editiones quae ex hispanicis codicibus sunt desumptae ut Leirensis Proverb. an. 1492.

§. xxv

Hodiernas saepe emendant.

Quod si eximius ac singularis plane est nostrarum editionum usus in pluribus et insignibus var. lect. suppeditandis, non minor est is quem praestant in emendandis hodiernis. Earum ope emendari queunt tot vitiosae Bibliorum lectiones, quas recentiores omnes editiones habent in textu, sed ad marg. damnant. Eae enim ab antiquis editionibus eliminatae sunt, rectaeque emendationes in textum receptae, ut Josue iii 16, v 1; Isai. x 32, aliisque innumeris locis. Emendari falsae aliae in hodiernas editiones introductae, quae nulla aut vix ulla mss. codicum fide suffulciuntur, ut Num. xii 14, i Sam. x 5, Isai. xxx 30, emendari potissimum falsissimae illae nec paucae, nec exigui momenti, quas masoretica prima Jacobi Chaiimi editio, tot Judaeorum ac Christianorum laudibus celebrata ut reliquarum omnium mater, in sequentes transfudit, ut Levit. xviii 22, i Sam. xvii 34, et xxv 26, Isai. xvi 9, et xxi 5, i Paral. vi 42, ix 35, xii 8, xx 4, ii Paral. iii 5, de quibus lectionibus earumque falsitate vide Diss. prael. ad iv vol. Var. Lect. pag. xii ac xiii. Restitui etiam possunt ex nostris editionibus, ut alia multa praeteream, celeberrimi Josue versus xxi 35, 36, tanta nunc criticorum consensione acceptati ut genuini et authentici, sed in eadem Chaiimi editione omnium prima, deinde vero in sequentibus plerisque omissi. Ac quod de biblicis editionibus dicimus, de aliis dicendum est, quarum longe plura ac infinita propemodum produci possent exempla.

§. XXVI

Saepe etiam supplent, in locis potissimum antichristianis.

Quamquam multa sunt variique generis loca, quae antiquae editiones in recentioribus supplent, sola tamen antichristiana hic attingimus, quae inter illa videntur eminere et gravioris esse momenti. Magni sane interest Christiani theologi quae de nobis nostraque religione, vel sanctissimo ejus auctore sentiunt celebriores Judaeorum auctores, quaeque ipsi adversus Messiae nostri characteres vel ejus doctrinae veritatem in eorum scriptis proferunt, apte dignoscere. Eane ex hodiernis, an vero ex vetustissimis editionibus hauriet? At notum est loca singula, quae Romam, Christum, Christianos, Christianorum fidem, vel principes, sub quibus degunt, respiciunt, in editionibus sec. XV integra ac plene plerumque exhiberi, quemadmodum ab auctoribus conscripta sunt, et in integris ac perfectioribus codicibus expressa, contra in hodiernis aut omissa fuisse penitus, aut mutilata, aut contra auctorum fidem immutata. In editione an. 1477 et Neap. 1487 Kimchiani Com. in Psalmos ad Psal. II 12 multa extant fuse adversus nos disputata, quae in libris postea editis frustra requires. Plura alia hujus generis eaque insignia hujus Com. loca in iis desiderantur, quae in antiquis integerrima habentur, ut Psal. VII 8, XIX 10, XXI 1, XXII 32, LXXII 20, LXXXVII 7, CX 7, CXIX 129, CXXIV 7, CXXIX 8, quae cuique patent utraque exemplaria comparanti. Quod et de ceteris celeberrimi hujus rabbini commentariis, posteriorum praecipue Prophetarum, dicendum est. Conf. Soncinensis eorum editio ad Isai. II 22, VII 14, XLIX 6, LIII 12, Jerem. XXXI 31, Ezech. XI 18, XLIV 2, Joel IV 19, Amos II 6, Obad. I 2, Mich. V 1. Haec eadem exempla ac specimina ex commentariis Aben Ezrae, Sal. Jarchii, Levi Gersonidis, Mosis Nachmanidis, ex precum libris, ex talmudicis tractatibus, ex Maimonidis Jad, ex Albi Fundamentis abunde peti possunt, quorum non pauca ad editiones ipsas innuimus, quaedam vero etiam integra suppeditamus. Atque haec sunt, quae de hebr. typ. origine ac primitiis, earumque raritate, praestantia et usu duximus Annalibus nostris praemittenda. Nunc ad editiones ipsas accedamus.



ANNALES
HEBRAEO-TYPOGRAPHICI
SEC. XV

ANNALIUM HEBRAEO-TYPOGRAPHICORUM SEC. XV

PARS I

EDITIONES ANNO INSIGNITAE.

AN. MCCCCLXXV

I

R. *Salomonis Jarchì Commentarius in Pentateuchum, in-fol. min. Regii Calabriae an. majoris Judaeorum supputationis ab orbe condito V. CCXXXV, Christi MCCCCLXXV.*

Paucis abhinc annis a nobis detecta extremae raritatis editio, bibliographis hucusque omnibus, Judaeis ac Christianis, ignotissima, primaque hebraicarum quae certam anni notam praeseferunt. Posteriorem enim superat quatuor mensibus, quot videlicet a die X adàr, quo ea lucem vidit, ad XXVIII tamuz, seu a fine februarii ad initium julii intercesserunt, ut supra animadvertimus §. XV Diss. praeliminaris. Integra constat pagina, ac quaelibet pagina lineis 37. Character in toto opere unicus, isque rabbinicus, rudis, singularis, ad hispanicam vel orientalem formam deflectens. Quaedam litterae, ut ב, ל, ע, פ, ח, duplicis ac diversae sunt formae, sed quae dilatentur, nullae, ac linearum spatium siquod vacuum superest, binis veluti virgulis vel lineolis expletur, quibus et dictionum compendia indicantur. Hinc initiales vel majores litterae nullae, nulla in foliis numerorum distinctio, nulli custodes, nullae signaturae. Saepe librorum vel sectionum tituli, vel prima verba omittuntur, ut majoribus ornatisque litteris supplerentur, reliqui iisdem minoribus typis, ac plerumque sub finem praecedentis sectionis excusi sunt. Singularis autem est modus, quo exprimitur sigla ineffabilis Dei nominis; binis enim jodin tractus quidam additur, qui figuram ײ exhibet. Nostrum hoc exemplar, hucusque unicum, incipit Gen. III 5. Si duo tantum, ut videtur, folia deficiunt, constabit editio foliis 115, si tria 116. Integerrimum aliud, quod paucis abhinc mensibus felicissime erueram, adverso casu negligentiaque, ut opinor, latoris, dum cymba vehebatur, periit, in Eridanum, ut omnia suadent, de-

mersum. Immanis et insignis in Jarchii textu extat lectionis varietas, quae et ex limine ipso patet, ac primo qui occurrit, versu, ubi editiones omnes, veteres ac recentiores, legunt בני *filios artis suae*, seu eandem artem exercentes, nostra in singulari ac mutato nomine בר *filium*, omnes עולם, nostra עולמו *seculum suum*. Ac vers. 15 pro ותשבנו *et mordebis eum*, ut habet communis textus, eam cum Breithaupti codice ac nostris sex legere ותשפנו *et flabis eum*, in Variis nostris lectionibus ad hunc locum olim observavimus. V. Append. ad vol. IV p. 212. Antichristiana loca servat intacta, unde Gen. XXXVI legit verba Maghdiel esse Romam, מגדיאל הוא רומי, quae in hodiernis libris desunt, in nostro tamen exemplo abrasa. Quoddam etiam additamentum expositionis Ephod in principe hac editione sub finem Exodi conspicitur, quod in aliis frustra quaeritur, sola excepta editione sine anno et loco. Absolvitur Deuteronomium verbis תם ונשלם תהלה לאל עולם ,, Finitus est liber et absolutus, sit laus Deo mundi ,,, fusaque poetica epigraphe, quam operae pretium ducimus integram sistere, non in quatuor, ut in codice fit, sed in binas tantum columnas commodius distributam.

נשלם פי׳ תורה　　שרשי ביארה
ובו היתה אורה　　לכל בני אברהם
אשיר בשיר לאל　　צור פודה וגואל
אשר נתן כאל　　בלב אברהם
אני בדרת חשקתי　　בלב אותה חמדתי
דרשתי וחקרתי　　כיד אברהם
אך הניאני הזמן　　בקשתי מעשה אמן
בעזר אשר נתן　　אלהים לאברהם
במקום למידתי　　ספרים כתבתי
והנם השלמתו　　לזרע אברהם
באמצעותם אולי　　אשתה מנהר אולי
הלואי ואולי　　יהי כן לאברהם
רואה קרא ואל　　תשים ספרי לאל
כי מה שבם נגאל　　לא מצד אברהם
הלא מצד חברה　　אשר החשיך אורה
ועם גם עברה　　הביא על אברהם
בעזר ישלח יהו　　מחזה אל תראו
כאותם יבאו　　מצד אברהם
להר בירת רהטון　　יקו לב ועשתון
אני בן גרטון　　בן יצחק אברהם
בריגו המדינה　　דעל ימא מותבא
בסוף קלבריאה　　שם גר אברהם
ליצירה ה׳ אלפים　　ומאתים וה׳ ושלשים
בי באדר סוף חדשים　　לחשבון אברהם

,, Finitus est Commentarius legis
,, Quo Rascius eam exposuit,
,, Et in quo est lumen
,, Cunctis filiis Abrahae.
,, Canam carmen Deo,
,, Rupi, liberatori, ac redemptori
,, Qui dedit sicut haec
,, In corde Abraham.
,, Ego religionem amore complexus sum.
,, Ex corde eam desideravi,
,, Quaesivi et investigavi
,, Juxta modulum Abrahami;
,, Verum obstitit, vel frustravit me tempus.
,, Perquisivi opus artificis
,, Auxilio quod largitus est
,, Deus Abrahamo:
,, In loco institutionis meae
,, Libros conscripsi,
,, Et ecce illos absolvi
,, In gratiam seminis Abrahae.
,, Opera eorum forte
,, Bibam de flumine fortitudinis meae
,, Defatigantis me et forte
,, Erit sic Abrahamo.
,, Qui vides, lege, et ne
,, Ponas libros meos in nihilum, vel despicias,
,, Quoniam quod in iis contaminatur,

„ Non est ex parte vel culpa Abrahami.
„ Annon est hoc ex parte vel culpa
componentis,
„ Qui obscuravit lucem,
„ Iram et indignationem
„ Adduxit super Abraham?
„ Opem vel medelam feret,
„ Si videbit. Ne respiciatis
„ Ad illa, vel cum illis veniant
„ Ex latere Abrahami
„ Ad montem domus praefecti
„ Confugiant libenter et sollicite,
„ Ego filius Gartòn,
„ Filius Isaaci Abrahamus,
„ In Regio, urbe
„ Quae secus mare est sita
„ In fine Calabriae,
„ Ubi peregrinatur Abraham,
„ Anno O. C. quinque millesimo
„ Ducentesimo trigesimo quinto,
„ Die x adàr postremi mensis
„ Juxta supputationem Abrahami.

Quae epigraphe XLVIII versibus componitur minoribus seu incisis, vel XII trimetris quaternis constantibus membris, quorum tria priora eundem servant rythmum, postremum perpetuo terminatur nomine typographi. Verbis perquisivi opus studium indigitat in hac assequenda arte a se impensum, utiturque vocabulo scribendi pro altero imprimendi necdum invento et adhibito, quod primos illos Judaeorum typographos, ut latinos, facere consuevisse pluribus olim exemplis ostendimus. Sic librorum nomine nostrae hujus editionis exempla intelligit, nec enim ullus alius liber ab hoc artifice, in hac urbe, hisce typis extat excusus. Qui Wolfio utuntur, vel supplementa parant ad ejus Bibliothecam, notent magnam quoad Jarchii Commentarium in Pentateuchum esse in eo lacunam, ac non modo editionem hanc, sed et reliquas omnes XV seculi vel ineuntis XVI ab eo omitti, ac fere omnes profunde ignorari. Prima et antiquior editio ab eo allata est Veneta anni MDXVIII in Bibliis rabbinicis hujus anni. Supplenda est ergo non tantum Regiensis nostra anni MCCCCLXXV, sed et antiqua literis quadratis sine anno et loco, Bononiensis an. MCCCCLXXXII, Soncinensis an. MCCCCLXXXVII, Sorae vel Iscar an. MCCCCXC, Ulyssiponensis MCCCCXCI, Neapolitana ejusdem anni, antiqua sine anno et loco in Pentateucho membranaceo, CPolitana MDV, Thessalonicensis MDXVI, Pragensis MDXVIII, et Ariminensis Soncinatum sine anno. Ex his binas, seu Soranam et Pragensem, in Indice biblicarum commemoraverat, ex quo facile poterat eas repetere, ceterarum nulla vestigia. Hanc eandem lacunam reperies in Bartoloccio ac Scabtaeo.

II

R. Jacobi ben Ascèr Arbà turìm seu IV ordines, in fol. min. IV volum. Plebisacii anno V̄. CCXXXV, Christi MCCCCLXXV.

En operis quod completum sistit recentioris Judaeorum juris sistema ac judaicarum constitutionum compendium, magni apud eos pretii et usus, editionem celeberrimam, quam hebraicarum omnium principem Wolfius, ac post Wolfium Foscarinius, Quirinius, Schwarzius, Marchandus, Mercier, Henningius, arbitrati sunt, etsi ex unius litterulae confusione ad aetatem paullo seriorem eam amandarent. Vide Diss. praelim. §. IX. Tot sunt ejus volumina, quot ordines. Primus ordo, seu Orach

chaiìm foliis constat 127, secundus Jorè dehà 104, tertius Even ahèzer 65, quartus Chòscen mispàt 162 impressis, et si album numeras, quod ad calcem extat, 163, paginae binis columnis, columnae lineis 54. Tres occurrunt characterēs, quadrati omnes et germanici, alter minusculus, non adeo inflexus nec inelegans, quo textus, major alter, rudior et incomptior, quo tituli et prima verba, tertius intermedius ac rarior, quo initialia quaedam praefationum vel constitutionum vocabula sunt exarata. In primo minimae formae, qui est duobus reliquis elegantior, nec in ullo alio XV seculi libro comparet, non omnes litterae sunt perfecte aequales, aliae aliis paullulum majores. Pe potissimum, daleth etiam ac resc non sat distinguuntur. Abbreviaturae indicantur lineolis vel punctis, nullae litterae dilatantur ad lineae complementum, ad hoc assumuntur initiales sequentium dictionum, numeri, signaturae, custodes nulli, columnae vel paginae aliquando ingeniose et ad instar pyramidis distributae. Sic praesertim bina folia IV ordinis, quae continent constitutiones 235, 236, 237, 238, et integra pagina, quae paullo ante occurrit. Maxima est in nostro textu lectionis varietas, intacta loca quae Christianos respiciunt. Sub finem I ordinis hi leguntur versus integra linea:

מי האיש החפץ לראות
מוסר תוכחות אורח חיים
ישים פעמיו עלי דרכי
בל ישה לסור אחורים
בי תעסוק ואל תפסוק
ערב בוקר את צהרים
הלא אם תעזבני יום .
אעזבך גם יומים
הידעתם את מי יעץ
חקוק ארבע הטורים
הנה הרב מה״ר קוזי
נדיב גם איש הביניים
אך לא היה עם סיומי
זאת אקונן בכפליים
אותי עזב עלי ארץ
הוא הלך ארץ החיים
אז בניו קמו בפרץ
המה גדרו השירים
שכרם תהא מרובה
מאת היושב בשמים
יזכו להיות לשנה
הבאה עלות ירושלים

„ Vir qui videre vult, vel dignoscere
„ Doctrinam disputationum, seu recte discussam Orach chaiìm, seu viae vitae,
„ Ponat gressus suos in via mea,
„ Ne declinet ut recedat retro.
„ In me studeas et ne cesses,
„ Vespere, mane, meridie.
„ Nonne si deseris me uno die,
„ Deseram ego te duobus?
„ Scitis ne qui consilium inierit
„ Excudendi Arbà turim?
„ En is est doctor R. Kozì,
„ Ingenuus, et vir interpositionis, seu conciliationis et pacis.
„ Verum non fuit ipse usque ad finem mei,
„ Quod doleo vel deploro dupliciter.
„ Me dereliquit super terram;
„ Ipse vero ivit ad terram viventium.
„ Tunc filii ejus surrexerunt in ruptura,
„ Ipsi obsepiverunt vepres vel spinas canticis.
„ Merces eorum augeatur
„ Ab eo qui caelos inhabitat:
„ Mereantur ut sit annus venturus,
„ Annus ascendendi vel redeundi in Jerusalem.

Secundus ordo nullam habet epigraphem, sed ad calcem tertii alii sexdecim versus subjiciuntur:

אשריני ומה טוב חלקי
על מה נפל גורל חלשי
סדר נשים הוחק חוקי
בהיותי הטור השלישי
מה"ר קוזי הרב בקי
הוא התחיל כי הרים ראשי
והנה יום עמדי על פרקי
אותי עזב וינטשי
והתהלך למרום שחקי
לקח אותו אלהי קדושי
אז אמרתי אחגור שקי
גם בגדי אלמנות אלבשי
כאשר זכו חזק בדקי
כן יזכו לצאת לתפשי
להזות נועם מאור צדקי
עם בנין קרית משישי

„ Felicem me! Quam bona est pars mea!
„ Super quo cecidit sors mea infirma!
„ Ordo mulierum exaratus est exaratione mea,
„ Quum sim ego ordo tertius.
„ R. Kozì doctor peritus
„ Ipse coepit extollere caput meum,
„ Et ecce die qua eram ad exitum,
„ Dereliquit is ac deseruit me,
„ Ivitque ad excelsum caelorum,
„ Tulit eum Deus sanctus meus.
„ Tunc dixi, succingam me sacco
„ Ac vestibus viduitatis vestiam me.
„ Sicut meruerunt restaurare rupturam meam,
„ Sic mereantur egredi ut suscipiant vel pertractent me,
„ Et videant amoenitatem luminis justitiae meae,
„ Unacum aedificatione urbis gaudii mei.

Postremus ordo hac explicit rythmica epigraphe, quae annum continet absolutae editionis, locum et typographum.

ותכל מלאכת עבודת הקודש
ביום שיני עשרים ושמנה לחדש
תמוז הוא החדש הרביעי
חמשת אלפים ור"לה למספר קבועי
בפייביא דישקו בבית מה"ר משלם
המכונה קוזי יבורך מעתה ועד עולם

„ Absolutum porro est artificium operis sancti, vel divini cultus,
„ Feria II, die XXVIII mensis
„ Tamuz, qui est mensis quartus,
„ Anno V̄. CCXXXV aerae praefixae
„ Plebisacii in domo R. Mescullàm
„ Cognomine Kozì, qui benedictus sit ex nunc et usque in seculum.

Interpositoque consueto vocabulo חזק sequuntur decem obscuriores versus in typographiae laudem conscripti:

אני חכמה לכל חכמה עטרת
אני נסתר לכל סוד נוסגרת
בלי קולמוס ורשומי ניכרת
באין סופר חוברתי במחברת
בבת אחת דיו עלי עוברת
בלי שירטוט בתיבה מיושרת
תמיה על דבורה הגברת
בשבט סופרים היא משוררת
לו אותי ראתה במחתרת
עלי ראשה הושמתי לכותרת

„ Ego sapientia omni sapientiae corona,
„ Ego abscondito omnibus secreto occludor,
„ Absque calamo et delineatione mea dignoscor,
„ Absque scriba componor in compositione,
„ Una vice atramentum super me transit,
„ Sine regula in dictione dirigor.
„ Admiratio super sermone praevalet, vel magna est,
„ Qui virga scribarum decantatur.

„ Utinam, vel quaeso videat me in effossione!

„ Super caput ejus ponor in coronam.

Ex variis hisce epigraphis Wolfius, editionem hanc describens ex duobus postremis ordinibus, quos recenter ex bibliotheca Ungeriana obtinuerat, solam priorem IV quae annum exhibet, refert tom. III p. 445, atque eam quidem cum gravissima discrepantia. Etenim in litteris numericis minoris supputationis pro ה ipse legit ח, ac propterea editionem nostram, non ad annum CCXXXV, sed CCXXXVIII, Christi MCCCCLXXVIII, constantissime retulit. Tanta autem securitate ac firmitate, quod sane mirandum est, pro posteriore littera accepit, ut R. Mosem Chaghis, qui aliter et quidem recte senserat et scripserat, ex oculari sui exempli inspectione convicerit, adeo ut negare id non potuerit, Wolfio ipso teste tom. IV pag. 864. Hinc ad eum annum MCCCCLXXVIII non modo scriptores omnes superius commemorati, sed et auctores Catalogi bibliothecae publicae Parisiensis, Denisius, Tiraboschius aliique summa consensione illam amandarunt, Wolfii auctoritatem fidentissime secuti. Nos ipsi etsi epigraphem non ex Wolfio sed ex ordine ipso describeremus, quem recentissime eramus consecuti, partim forma ipsa litterae decepti, partim firmissima illa Wolfii fide ac constantia, quae vix penitiorem indaginem postulare videbatur, eundem plane annum olim constituimus De heb. typogr. origine pag. 12. Nec enim ea littera hoc loco satis est aperta, sed potius arctius quam par esset, superiori angulo connexa, ita ut cheth primo intuitu primaque fronte videatur. Quod in minimo ac rudi ejus aetatis charactere mirum non est, quum et in mss. codicibus et in posterioribus editionibus affines hae litterae saepissime confundantur. At vero ordinem postea manu resumens ac formam ipsam diligentius perpendens, eamque cum reliquis utriusque litterae accuratissime conferens, reperi esse certissime he, ideoque annum illic exhiberi CCXXXV judaicum minorem, christianum nostrum MCCCCLXXV. Quandoquidem praeterquam quod in littera cheth sinister angulus magis cohaeret ac clauditur, in he ubique minus, in priori littera inferior lineola seu ductus superiorem paullisper praetergreditur, seu ductus quidam superior in eo angulo perpetuo eminet et erigitur, qui nunquam in altera observatur. Hoc itaque exiguo ductu neglecto, qui erat potissimum attendendus, in eo enim totum fere situm est earum litterarum discrimen, orta est earum confusio et erronea lectio. Sed pro ה recte acceperunt ex Judaeis laudatus Moses Chaghis in calce לקט הקמח super III ordinem hujus nostri operis, et R. David Azulai in suo Scem aghedolìm parte II fol. 19, exemplum ipsum IV ordinis seu Chòscen mispàt Regii perlustrans antea sibi ignotum, quod in manus meas devenit, ex Christianis vero cl. Pasinius, mss. codices regii Taurinensis athenaei describens, qui tamen eodem tempore in bina incidit errata reapse gravissima. Etenim codex quem tamquam ms. refert in edito Catalogo tom. I p. 2 cod. V a. I 13, est typis exaratus et Plebisaciensis nostra editio, quam extare revera in ea bibliotheca ex notitia, quam ex abbate Bencini accepe-

rat, Wolfius ipse in IV volumine olim monuerat. Locus autem בפי״בי״א de Pieve, seu Plebisacio Patavinae ditionis vico intelligendus est, quod et sequens vocabulum די״שקו *di Sacco* manifeste demonstrat a doctissimo illo Taurinensis bibliothecae praefecto neglectum et omissum, non de *Pavia*, seu Ticino, ut perperam ipse interpretatur. Quod omne litteris suis XIII julii an. MDCCLXXIV ad me datis amplissime confirmavit hac de re consultus cl. Berta Pasinii successor. Ac praeter Taurinense hoc exemplar, quod integerrimum est ac membranaceum, elegantissimum aliud, pariter membranaceum et integrum, vidi Romae in bibliotheca eminentissimi Zeladae, unde nos binas priorum ordinum epigraphes hausimus, quarum primae et apographum aliud ex Taurinensi sponte pro humanitate ac benevolentia sua singulari ad nos deinde transmisit eruditissimus et amicissimus abbas Thomas Valperga de Calusio. Wolfianum, antea Ungerianum, membranaceum et ipsum erat, sed Parisiense quod supra commemorati Catalogi auctores proferunt num. 866 p. 65, ac meum IV ordinis, chartacea sunt. Ac pauca haec, quae aetatem ferunt, exempla, partim mutila, egregie comprobant extremae raritatis notam, quam huic nostrae editioni jure ac merito docti nonnulli bibliographi attribuunt. Vide Dav. Clement *Bibliotheque curieuse des livres rares* tom. II pag. 158, Hennings Biblioth. librorum rariorum p. 146, et Biblioth. rar. libr. universalem tom. I p. 132, ubi tamen mendose pro Plebisacio legitur Plebisaviae. Eam cum priori Regiensi de hebraicae typographiae primatu merito contendere jam supra a nobis observatum est. Quatuor enim menses, qui a prima illa ad nostram intercesserunt, videlicet a fine februarii ad initium julii, certe non sufficiunt imprimendis tribus voluminibus in folio, quot nostra Regiensem superat, potissimum quum typographi obitus intercesserit. Conf. Diss. praelim. §. XV, XVI, et XVII. Ad eorum classem qui editionem nostram amandant ad an. MCCCCLXXVIII, referendus proculdubio est Maittairius, quamquam in ejus Annalibus tom. V parte II p. 517 legatur annus MCCCCLXXVII. Exscribit enim is Marchandum, ideoque merum hoc habendum est mendum typographicum, quod Denisius emendat in Supplem. parte II p. 792.

MCCCCLXXVI

III

R. Jacobi ben Ascèr Orach chaiìm, Via vitae, seu I ordo Arbà turìm, fol. max. Mantuae an. V̄. CCXXXVI ab orbe condito, Christi MCCCCLXXVI.

Vix Plebisacii absoluta fuerat Mescullami Kozì hujus operis editio, quod alteram forma multo ampliorem Mantuae suscepit Abraham Conatus, professione medicus ac titulo chavèr, seu socii rabbini insignitus, qui ingens et ipse studium contulerat, ut novam typographicam artem assequeretur. Ac testimonium quidem ingenuum, quod is fert in epigraphe, laboris a se impensi in ea invenienda ac discenda et opificii in opere hoc excudendo adhibiti uberrima delineatio, produnt verosimilius primum hunc esse nostri typographi foetum, nisi edendi speciminis gloriam maluerit uxori relinquere, quae, ut

suo loco videbimus, exiguae molis libellum seu Bechinàd olam, eodem charactere rudique prorsus artificio sine die et consule edidit. Sed hujus editionis nonnisi bini priores ordines lucem viderunt, Mantuae alter, alter Ferrariae a diversis typographis excusi, quorum notitiam biennio ante a nobis acquisitam anno MDCCLXXX doctis impertivimus in Commentario nostro historico de typographia hebraeo-ferrariensi cap. II p. 10. De Ferrariensi qui partim Conati nostri typis impressus est, infra dicemus, nunc de Mantuano. Duabus columnis is constat, ac foliis 129, quaelibet autem columna lineis 50. Typi semirabbinici sunt, aleph plane rabbinicum ductusque superior ל non rectus, sed obliquus est ac sinistrorsum vergens, singularis autem nexus litterarum aleph et lamed. Hi iidem typi adhibiti sunt in reliquis omnibus Conati editionibus, nec in ulla alia XV seculi comparent. Initialia sectionum vel constitutionum verba, ac numeri quibus tum in indice praemisso, tum in opere ipso eae indicantur, litteris quidem quadratis expressa sunt, sed germanicis ac rudibus. Textus ab hodierno saepe discrepat, numeri non congruunt, post constitutionem 231 inseruntur Maimonidis Constitutiones dehòth, quae septem circiter paginas occupant, et in Fanensi aliisque editionibus desiderantur, aliudque additamentum exhibet ad constit. 421, quod in iisdem non conspicitur. Postrema operis pagina et columna fusam sistit typographi epigraphem, quam integram hic describimus eo ipso ingenioso ac singulari modo, quo in editione ipsa distribuitur.

אמר אברהם קטון המשפיעים

ותלמיד הרופאים הנסמך זעירא מן הברייא בב״מר
שלמה כונת זלהה הכותב בכמרת קו
קולמוסים בלא מעשה נסי׳ אשר
יגע ומוצא להרביץ רת
תורה בישראל
והשיג זאת המלאכה · לכתוב כהלכה מערכה ע
ערוכה לקראת
מערכה א אלף עמודי׳
בכל יום פעמי׳ באהבה ובלב
נדיבה ארבע עמו׳ בפעם אחד אשר ב
בצד אחד מן הדף בנייר הגדול וכן הארבעת אשר
בצד השני עד שי שימצא היות כתוב ה
הדף אשר לו ב דלדות וד׳ פנים
עב׳ פעמי׳ וזה מלאכתו
כל הי הימים
אשר שם ל
לכתוב זה הספר הנק׳
אורח חיים א אשר כתוב בו ל
אמרי׳ להטיב לרבי׳ כי הוא הספר אשר
יצטרך לכל בית ישר׳ כאשר יתפרסם לך בהקדמה
בחלקיו וסדריו וסימני כל ענין וענין עד לכו ונלכה
אל בי׳ אלקי יעקב ו ויורנו מדרכיו ונלכ
באורחותיו כי מציון תצא רת
תורה . וכו׳ וברוך אל
חי על עליון ו
ונורא כי נתן
לעבדו ע עזרה לכתו׳
השלמת הספר הזה בחמישי
ביד׳ לחדש סיון שנ׳ המשת אלפים ורלו׳
ליצירה . למנין שאנו מונין פה מנטואה השם ל
למען רחמיו יזכנו להגות בו ויצליחנו
בענינו ויקיים בנו מקרא ש
שכתו׳ לא ימוש ספר
התורה הזה מ
מפיך והגית בו יומם ולילה למען תשמר ככל הכ
הכתו׳ בו כי אז
תצליח א את דרכיך
ואז תשכיל ה הלא צויתיך ה
חזק ואמץ אל תע תערץ ואל תחת כי
עמך י״י אלקיך בכל אשר תלך וכן יהי רצון אמן

תם ונשלם שבח לבורא עולם

„ Dicit Abraham, minimus eorum qui copiam vel affluentiam faciunt, et discipulus medicorum, promotus minimus sociorum, filius domini R. Salomonis Conati fel. mem., scribens multis calamis sine opere portentoso, vel miraculo, qui ut dilataret legem in Israel, laboravit ut inveniret, et assequutus est artem hanc, ut scriberet seu imprimeret pro more, ordine seu acie disposita contra aciem, mille columnas quotidie duplici pressu lubenti ingenuoque animo, quatuor columnas una vice vel pressione, et ex una parte folii vel plagulae chartae maximae, sicque quatuor alias ex altera parte, donec ex iterato hoc preli pressu reperiretur scriptum folium integrum seu plagula, binis constans foliis et quatuor paginis. Hocque fuit opus vel opificium ejus cunctis diebus, quos impendit in describendo vel imprimendo hoc libro, qui dicitur Orach chaiim, quo continentur eloquia vel verba publicae utilitatis. Talis namque est hic liber, ut plane necessarius sit universae domui Israel, ut constat tibi ex praefatione, ex partibus ac divisionibus ejus et indicibus cujuslibet argumenti usque ad ea verba „ Venite et eamus ad domum Dei Jacob, ut doceat nos vias suas, et ambulemus in viis ejus, quoniam ex Sion prodibit lex etc. „ Benedictus autem Deus vivens, altissimus ac tremendus, qui dedit servo suo auxilium, ut scriberet, vel imprimeret finem libri hujus feria v die XIV mensis sivan an. v̄. CCXXXVI a creatione juxta supputationem, qua nos supputamus hic Mantuae. Deus misericordiis suis dignos faciat nos qui in eo meditemur, ac deducat prospere ad sensum illius, confirmetque in nobis textum qui scriptus est: „ Non recedet liber legis iste ab ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, ut custodias omne quod in eo scriptum est, quia tunc prosperabis vias tuas, et tunc intelliges. Annon praecepi tibi, roborare et fortis esto, ne formides et timeas, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus quae susceperis. „ Sicque placeat amen. Finitus est et absolutus, sit laus Creatori universi „. Mensis sivan respondet partim majo, partim junio, ideoque incidit operis complementum in primum illum progredientem mensem. Quinquies in hac epigraphe scribendi vocabulo utitur Conatus in significatione imprimendi, quod et Conatus ipse in aliis editionibus aliique ex Hebraeorum typographis, et latini ipsi nonnulli primis illis nascentis typographiae temporibus fecerunt. Quod vero in ea notari potissimum meretur, est annus et locus, quibus apposite jam uti possumus ad definiendum locum et tempus reliquarum editionum, quas Conatus absque ulla anni vel loci designatione vulgare consuevit. Unica haec est editio in qua utrumque expresserit. Ac aetas quidem facile ex editionibus ipsis eruebatur, quae satis demonstrant eas ante an. 1480 prodiisse. Sed major erat loci difficultas ac maxima doctorum dissensio, quorum alii Coloniam, alii CPolim, alii aliam urbem esse opinabantur, nemo Mantuam, cujus oriundum et Conatum ipsum modo tenendum est, non CPolitanum, ut male Munsterus aliique crediderunt. Hujus porro editionis summae raritatis, quam ex Commentario nostro de typographia hebraeo-ferrariensi commemorant

Denisius in Suppl. ad Maittairium tom. I pag. 58, Volta *Saggio della tipografia Mantov.* pag. 8, et nuperrime Panzer in Annalibus typogr. tom. II p. 6, bina apud nos extant exempla, binaque alia doctissimorum virorum Audiffredi ac Fabricy beneficio vidimus Romae in Casanatensi, in quorum uno ms. quaedam nota latina conspicitur an. 1745, quae perperam ordinem hunc ad an. 5238 refert, manifeste eum confundens cum editione Plebisaciensi, quae ejus anni credebatur.

MCCCCLXXVII

IV

R. Levi Gersonidis Commentarius in Jobum in-4. min. sine loco an. minoris Judaeorum supputationis CCXXXVII, Christi MCCCCLXXVII.

Quum detectus olim non esset liber hebraice impressus hoc Gersonidis Commentario antiquior, primos hebraicae typographiae honores illi adversus Bartoloccium, Maittairium, Wolfium, Maffejum, Saxium aliosque vindicavimus in Disquisitione nostra de hebr. typographiae origine cap. II p. 7. V. Diss. praelim. §. x. Is incipit statim a Commentario ipso, cujus priora duo vocabula אמר רל״בג, seu *Dixit Ralbag*, omittuntur, ut auro vel minio, ut ejus aetatis mos erat, deinceps manu supplerentur. Characteres rabbinici sunt, rudes, iidemque omnino cum iis qui a nostro typographo Abrahamo ben Chaiim adhibiti sunt in Jorè dehà Ferrariensi, ac valde similes quoad formam iis, quos incidit Abrahamus Conatus. Initiales vel majusculae litterae nullae in tota editione occurrunt, idem ubique et unicus character, nulli numeri, signaturae, custodes, paginae integrae, lineae paginarum 23, folia 124. Fol. 76 prior pagina non reperitur impressa, hocque ex una typographi oscitantia, quum nihil illic deficiat Ralbagiani Commentarii. Postremo vero folio haec legitur nota: ותכל מלאכת הקדש על יד אברהם יזיא׳ בכר חיי׳ זלהה מפיזארו סופר מהיר דפוסי והשלמתו היה יום ו׳ ד׳ לחדש סיון רלז׳ לאלף הששי וברוך הנותן ליעף כח ולאין אונים עצמה ירבה. לכל תהלה ראיתי קץ „ Finitum est autem opus sanctum per manum Abrahami (videat ipse semen producatque dies suos amen) filii domini R. Chaiim fel. mem. Pisaurensis, scribae velocis typographici, perfectioque ejus contigit feria VI die IV mensis sivan an. 237 millenarii sexti. Benedictus qui dat defesso virtutem, et ei qui vires non habet, robur addit. Unicuique initio vidi finem „. Interpositisque ac divisis hinc et illinc binis verbis כבודך יי *ad gloriam tuam, Domine*! sequuntur decem versus, quibus grates divino numini de operis absolutione referuntur:

נודה לחסין יה צור ישועות
תקיף אדיר ונורא למושעות
נועמו נתן לאברהם עבדו עזרה
מסיר מכשול להשלים ועיני כל מאירה
ספק בגללו יצא מדרך מאפליה
אל אור בדלינו מים מלוי התושיה והפילוסופיא
והצור אשר להשלימו זכני
חזור וחזור להגות בו יכריחני ויטני
זיקוק חקירת הספר וביאורה
קרה השלמתו בתשעה וארבעים לספירה

„ Confiteamur forti Domino, rupi salutum,
„ Potenti, magnifico ac terribili ad salvationes.
„ Favor ejus dedit Abrahamo servo suo auxilium,

„ Removens offendiculum ad absolvendum, jamque oculus meus totum opus perlustrans,
„ Plaudit in eo volvendo. Egressum est e via caliginis
„ Ad lucem. Stannum nostrum plenum est prae mari valida substantia ac philosophia.
„ Deus porro qui dignum fecit me ut illud perficerem,
„ Circumquaque ad meditandum in eo cogat me, infundatque mihi
„ Scintillam perscrutationis libri et expositionis.
„ Contigit finis ejus die XLIX numerationis.

Initiales litterae acrostici hujus carminis puncto superius notatae nomen dant נתן מסאלו חזק Nathanis de Salò, vel Salodiensis, ejus videlicet qui, ut videtur, versus ipsos composuit ac librum correxit. Postrema vero verba intelligenda sunt de die XLIX omer, cujus numerationem aliquando in epigraphis suis notant Judaei, non de anno compositionis auctoris, ut primum conjeceram. Nomine enim *sephirà* absolute ea aera intelligi solet, seu intervallum intermedium dierum quinquaginta inter Pascha et Pentecosten ex Levit. XXIII 15. Nostram hanc editionem in Pragensi Oppenheimeri bibliotheca vidisse se testatur Wolfius tom. III p. 649, sed absque ulla anni vel loci designatione. At mirum profecto est virum, in hebraica caeteroquin bibliographia versatissimum, annum non animadvertisse qui in ipsa eadem quam subdit, epigraphe legitur disertissime, eumque in libri fronte quaesivisse, qua priorum illorum temporum editiones carebant. Mirum quod in eadem epigraphe mem pro samech et zain pro vau praepostere accipiens, loco מפיזארו legerit ספיואו, quae vox quid sibi velit, ait se non assequi, nec quam recte ex ea Bartoloccius *Pesaro* exsculpserit. Etenim ipsissima haec recta appositaque Bartoloccii interpretatio sat doctissimum virum crassissimae hallucinationis arguebat, veraeque vocabuli illius lectionis, in quo nullum prorsus extabat typographiae mendum. Verum si ex epigraphe constat annus editionis, locus certe non constat. Unde hallucinatur Bartoloccius, qui mem cum beth in ea confundens, librum revera Pisauri prodiisse conscribit Bibl. rabb. tom. IV p. 7, ac si extaret in textu בפיזארו. Hinc ad eam urbem auctores non pauci Bartoloccii fidei et auctoritati innixi absolute retulerunt, ut Le Longius Biblioth. sacra tom. II p. 827, Wolfius tom. I p. 727, Marchand *Hist. de l'imprim.* pag. 69, Maittaire Annal. typ. tom. V parte II p. 531, Assemani Biblioth. Vat. mss. tom. I p. 68, Denisius Einleitung tom. I p. 132, aliique. Etsi porro diserte id non constet, verosimile tamen olim mihi visum est, sive in Dissert. prael. ad Epithalamia exoticis linguis reddita §. VIII p. 17, sive De hebr. typogr. origine p. 9, Pisaurensem typographum Pisauri librum excudisse, qui si locum et patriam interdum mutavit, ac quinquennio post Bononiae Pentateuchum edidit, non id perfecit, quod Bononiae degeret, sed quod illuc fuerit accersitus. Unde autem accersitus, nisi ex Pisauro, ubi publici ille fullonis munere fungebatur? Dicitur enim in epigraphe Pentateuchi Bononiensis is esse ex tinctoribus regionis Pisaurensis. Sed

detecta postea Ferrariensi editione II ordinis Arbà turìm, seu Jorè dehà, aliter statuendum censui in Commentario de typographia hebraeo-ferrariensi p. 15. Etenim quum videretur ea immediate successisse primo ordini, qui a Conato excusus fuerat an. 1476, ideoque edoceremur Abrahamum nostrum qui illam vulgavit, non Pisauri, sed Ferrariae hoc eodem anno et tempore, quo prodiit Ralbagianus Commentarius, typographicam artem fixisse et exercuisse, perperam diceretur is alibi impressus. In qua quidem opinione et nunc sum, quamvis ordinem illum jorè dehà paullo serius, seu biennio post prodiisse autumem. Eadem enim est ratio, cui et alia accedit, meo quidem judicio, non exigui ponderis, quod nunquam se Pisaurensem in epigraphe dixisset typographus, si Pisauri liber esset excusus. Patriam namque extra patriam addere et exprimere artifices solebant. Quare autem qui Pisaurensem se esse gloriabatur, Pisauri nomen reticuisset, et si in patria typographiam fixerat ac libros edebat, cur id nullibi expressit, aut fingi in ea urbe debet ab eo editus liber, ubi nullus editus? Editus porro est die IV mensis sivan seu maii, non die VI, ut male habet Bartoloccius, de die mensis accipiens quod de feria hebdomadae erat sumendum. Haec de hac editione, cujus, praeter bina amicorum votis concessa, tria adhuc integra apud me servantur exempla, nec aliud addimus, nisi quod facta collatione ea mss. codices pressius sequitur et accuratius refert, quam recentiores editiones, ut constat vel ex ipso libri exordio, in quo editio Veneta Bombergiana in Bibliis magnis rabbinicis legit אל משה, nostra למשה, ut habent quinque mss. mei codices. Bombergiana mendose בעיניו, nostra בעינו in singulari recte, ut legunt quinque iidem codices, illa כמו שחייבו זה פנות התורה, nostra omittit, ut omittunt commemorati codices omnes.

V

Psalterium cum Commentario R. David Kimchì in fol. min. vel 4 maj. sine loco anno min. supput. CCXXXVII, Christi MCCCCLXXVII.

Prima sacri textus editio, extremae raritatis, cujus altissimum apud Bartoloccium, le Longium, Wolfium ceterosque omnes bibliographos et Judaeorum scriptores est silentium. Omnium primus eam ex exemplari, quod in Taurinensi bibliotheca regia servari didicerat, commemoravit cl. Kennicottus in novo suorum Bibliorum programmate, quod edidit die XVI decembris anni 1772, omnium primi nos ex exemplari quod antea nacti fueramus, quadriennio post in Disquisitione nostra recensuimus et illustravimus. Incipit pag. versa a praefatione Kimchii, quae lineis constat 35. Sacer textus charactere exaratus est quadrato germanico, supra tamen magis acuminato quoad litteras plerasque, quae sunt cuspidatim decisae et acutiores. Nullas habet litteras initiales vel majores, nullos accentus, sed punctis vocalibus instruitur quoad prima quatuor folia usque ad Psal. IV 4, quamquam et litterae nonnullae et verba intermedia iis destituantur Sub initium VI folii ea iterum comparent in tribus versibus, deinceps nulla vestigia, si excipis vau

surek, quod cum simul incisum sit et adhaereat, saepe pro vau, neglecto puncto, retentum est. Unicuique versui Psalmorum Kimchianus Commentarius subjicitur, relicto tamen plerumque sub sacro textu vacuo unius lineae spatio, ac minori inter utrumque intervallo. Character Commentarii rabbinicus est, sed a quadrato minus deflectens, minusculus, idem fere cum eo, quo impressum est Targum et Commentarius Jarchì in Pentateucho Bononiensi, et Psalterium alterum in 12 sine anno et loco. Aleph tamen in hoc nostro est paullo rudius ac diversum, ac nonnullae aliae litterae, si minutatim ac profunde examinentur, videntur paullisper differre. Abbreviatura aleph et lamed in illis frequentior, hic non occurrit, sed alterius nominis ineffabilis eadem, eaque singularis, tribus quidem jodin constans, sed duobus inversis ac ita protractis, ut vau potius figuram exhibeant, ac superiori aperto. Paginae integrae, lineae paginarum 40, folia editionis 153. Nec folia, nec Psalmi numerantur, nec ulli extant custodes, nullae etiam signaturae in primis 67 foliis. Eae incipiunt fol. 68 et indicantur minoribus Commentarii typis. Notantur autem iis quaterniones, seu prima quaelibet quatuor folia, albis relictis quae sequuntur iisque respondent, post quae signatura resumitur. Sed in quibusdam foliis ea omittitur, nec semper eodem loco collocatur, communiter in interiori parte imi marginis, aliquando in medio, interdum in exteriori. Postrema est מב, seu XLII, quam quinque alia folia excipiunt numeris destituta. Ad calcem binae hae typographorum leguntur epigraphes, altera 12 cònstans versibus seu rythmis, altera prosaica:

בעת תושלמת מלאכת הספרים
אשר בדפוסי האותיות נקבעו לסדרים
באותה מלאכה ימצאו שלש מאות ספרים
המהדרים מן המהדרים
תהלים עם פירוש הקמחי
לעיני רואיהם יבהיקו יאירו כספירים
על כן לנאזר בגבורה נפארנו ברננה
וקול זמרה ובשיר כל משוררים
כי יזכנו להגות בהם אנחנו וכל בני
עמנו לעדי עד ולדור דורים
ללמוד וללמד לשמור ולעשות ולקיים
את כל הכתוב בהם יזכינו יוצר כל יצירי׳

ויהי נועם יי׳ אלהי׳ עלי׳. ומעשה ידינו כוננה עלינו · אלהי׳ יחונינו ויברכינו · יאיר פניו אתנו במלאכת ידינו · כי יצליחנו בכל משלח ידינו מראשיתנו ועד אחריתנו · בעשרים יום בחדש אלול בשנת רלז נגמרה פעולתינו · צור מעוזינו יחיש גואלינו במהרה בימינו המעתירים ככה בהם עושי המלאכה מיישטר יוסף ונריה חיים מרדכי וחזקיה מונטרו׳.

„ Tempore perfectionis artis librorum vel typographicae,
„ Quo in typographia mea litterae formatae sunt in ordines, vel in paginas dispositae,
„ Artis hujus subsidio reperta sunt tercenta exemplaria,
„ Alia aliis pulchriora vel nitidiora,
„ Psalterii cum Commentario Kimchì,
„ Quae oculis illa intuentium excellunt ac splendent tamquam saphiri.
„ Quamobrem cum accincto fortitudine gloriati sumus in cantu,
„ Et in voce psalmodiae, et in cantico omnium poetarum,
„ Quia dignos fecit nos meditari in illis, nos et omnes filios

„ Populi nostri in seculum seculi et in omnes generationes.

„ Discere et docere, custodire et facere, et confirmare

„ Omne quod in iis scriptum est, dignos faciat nos conditor omnium creaturarum.

„ Sitque amoenitas vel favor Domini Dei nostri super nos, et opus manuum nostrarum super nos dirigat. Deus misereatur nostri et benedicat nobis. Splendere faciat vultum suum nobiscum in opificio manuum nostrarum. Quia secundat nos in omni extensione manuum nostrarum a principio nostro usque ad finem nostrum. Die XX mensis ellùl anni 237 completum est opus nostrum. Deus fortitudo nostra acceleret redemptorem nostrum cito in diebus nostris. Sic enixe rogant artis hujus operatores vel opifices magister Joseph Veneria, Chaiìm, Mardochaeus et Ezechias Montro vel Monatro „. Ter sequitur כל״ק *Finitus*. Isthaec artificum cognomina ob varia quae admittunt vocalia, variam admittunt lectionem. Judaeus qui uni ex meis exemplaribus italicam notam praemisit, postremum illud tribus typographis ejusdem familiae commune legit Monatro. At vero super postremo vau exiguum punctum conspicitur, quod pro cholem haberi nequit, et est proculdubio signum abbreviatae vel decurtatae dictionis, ut est in superiori עלי׳, יצורי׳, אלהי׳. Forte ergo legendum Montross, vel Monteros, vel Monatros, haecque aut alia consimilis littera supplenda nobis ignota, sed tunc notissima, ut integrum ac certum habeatur illud nomen. Psalmi in hac editione, ut fit in aliis bene multis et in mss. non paucis, in v libros dividuntur, quorum exordium ac finis designatur. Liber primus explicit fol. 47, secundus 78, tertius 98, quartus 118, quintus fol. 153, seu postremo verso. Textus negligenter impressus, litterae, verba aliquando omissa, interdum integri versus, nec Kimchii Commentarius recte semper respondet. Sed ut ex germanico exemplari desumptus est, pluribus variis lectionibus abundat, inter quas insignes, pretiosae, unicae. Psal. XVIII 27 et 32 unica est nostra haec princeps editio in tribus servandis variis lectionibus loci paralleli Samuelis ac variorum codicum, XXVI 7 unica iterum in rara lectione לשמוע, quam exhibent perpauci mei codices, LXX, Vulgatus, Arabs, et Rabbòth, LXII 12 unica in legendo plurali verbo שמענו, quod confirmant Kennicottiani codices undecim, mei tredecim, Talmud Babilonicum et Arabs, unica Psal. CXX 6 in lectione שנאי, quam exprimunt Kennic. quatuor, mei totidem, LXX, Syrus, Arabs, Vulgatus. Est et aliquando unica sine mss., ut Psal. XXII 10 in lectione משדי, quam commemoratae omnes versiones sistunt, et v. 30 in altera יאכלו, de qua Kennicottus in Diss. generali ad cod. 255, quo editio nostra in ejus collatione innuitur. Haec de sacro textu. Quod spectat vero ad Kimchii Commentarium, is in hac nostra editione est plenissimus et integerrimus, ea omnia adamussim continens quae Christo ac christianae religioni adversantur, in recentioribus omnibus summo studio resecata. Sic ad Psal. II 12 multa hic reperiet theologus adversus nos disputata, quae speciminis gratia subjicimus latine versa.

„ Christiani porro Psalmum hunc interpretantur de viro illo (Jesu), et versus, ex quo argumentum ducunt, cuique innituntur, est ille: *Dominus dixit mihi, filius meus es tu*. Jam vero si dicant tibi: Is est filius Dei, quia aequum non est ut dicatur de carne et sanguine seu de puro homine, quod sit filius Dei, filius enim est de specie patris, quemadmodum rectum non est, ut dicatur, hic equus est filius Rubenis. Quare is cui dixit Deus, *filius meus es tu*, debet esse ejusdem speciei et Deus ut ipse. Hocque eo magis quod subdat *ego hodie genui te*, quum genitus sit de specie generantis. Tu dic eis quod non convenit divinitati pater et filius. Nec enim separari divinitas potest, aut corpus est ipsa divisibile, sed una est ex omni sua parte, unitate quae nec augetur, nec minuitur, nec in partes discinditur. Rursus repone illis. Pater et filius, pater est prior filio tempore, et nonnisi ex virtute vel potentia patris filius egreditur. Quamvis autem non recte dicatur alterum sine altero in appellatione nominum, quia non dicitur pater, donec non sit ei filius, nec dicitur filius, si patrem non habeat, omnimode qui dicitur pater, quando filius adest, est eo prior tempore. Et si filius est Dei, quem vos dicitis et appellatis patrem, filium, spiritum sanctum, pars quam appellatis patrem, prior erit parte altera quam dicitis filium. Nam si semper fuerunt duo illi quasi unus, vocare eos fratres gemellos, non patrem et filium, nec generantem et genitum, quia qui generat, est certe ante generatum. Ad illud vero quod subditur, quod recte filius Dei dici nequeat de re quae non est de specie divinitatis, dic eis quod nos non possumus loqui de Deo benedicto nisi metaphorice, ut cum dicimus, os Domini, oculi Domini, aures Domini aliaque ejusmodi, quae manifesto parabolice tantum vel per metaphoram dicuntur. Itaque metaphorica est locutio illa, ut ea est qua interdum dicitur *filius Dei, filii Dei*, quia eum qui facit mandatum suum et legationem suam, vocat is filium, ut filium qui operatur mandata patris. Ideo vocat etiam stellas filios Dei, ut illud *et vociferabuntur omnes filii Dei*. Ita hominem propter supernum spiritum qui in eo est, quo ipse praecepta Dei operatur, et propter sapientem animum qui eum instruit, vocat eum Deus filium. Idcirco dicit *filius meus es tu*, et rursus *ego hodie genui te*. Ut dicit etiam *filius meus et primogenitus meus Israel*, vel ut alibi dicitur *filii estis vos Domini Dei vestri*, item *annon ipse est pater tuus et possessor tuus?* Et rursus *ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium*. Sic quoque regeres eis. Deus quem vos dicitis dicere patrem filio, *postula a me et dabo gentes haereditatem tuam*, quomodo sic postulare poterit filius a patre? Annon Deus est ut ipse, eique est potestas in gentes et in fines terrae, ut est patri? Rursus: ante petitionem non erant ergo gentes haereditas ejus. Quod si ita est, minor ergo potentia erat a principio Deus ille, et major postea factus est, quod de Deo dici nequit. Sin vero reponant tibi quod ratione humanitatis sic loquitur, et postquam divinitas carnem assumpsit, ita ut ei tamquam homini dicat, ut ab illo pe-

tat detque gentes haereditatem suam, hoc non est, quia is ut homo non habuit ullum regnum et ullum dominium super aliquam gentem, sique subdant quod de fide locutus sit, videlicet quod suscepturi essetis fidem ejus, en major mundi pars inter Judaeos et Turcas illius religionem non suscepit. Ecce docui te quid eis respondeas super hoc Psalmo. Tu vero pro scientia tua addes secundum haec. Quod si postulaverint ex te ejus expositionem, tu expones eum alterutro ex duobus modis prout libuerit, vel de Davide, vel de Messia, ut ego exposui tibi „. Haec quae paullo aliter leguntur etiam in editione Neapolitana an. 1487, in recentioribus editionibus non extant, in quarum nonnullis, ut in Veneta an. 1566, resecata est quoque ipsa Kimchii interpretatio vocis בר *de filio*, quae Christianorum caussae plurimum prodest. Multa alia eaque insignia hujus Commentarii loca antichristiana in hodiernis editionibus desunt, quae in nostra ac Neapolitana integra habentur, ut primitus a Kimchio conscripta sunt. Consulatur potissimum Psal. VII 8, XIX 10, XXI 1, XXII 32, LXXII 20, LXXXVII 7, CX 7, in quorum nonnullis nostra est Neapolitana ipsa paullo plenior et apertior. Sic Psal. XIX 10, ubi Neapolitana legit ולא כדברי האומרים *et non secundum verba eorum qui dicunt*, nostra habet apertius ולא כדברי הכופרים הנוצרים *et non secundum verba negantium Christianorum*. Exemplum aliud habes luculentissimum ad Psal. CXX 5, ubi non modo integra extat in hac interpretatio Mesech de Cedar quae in altera illa omittitur, sed et proposita interpretatione de filiis Japhet, post verba illa Gorionidis *ipsi sunt Etruriae incolae* vel itali, subditur christianae hos esse religionis cultores, et memorari Mesech propter regnum Edom, eo quod Roma sit Etruriae vel Italiae munimen. Quae in Neapolitana desiderantur, in qua prohinde non duo deinceps regna, sed regna universim dicuntur a Davide innui, sub quibus captivi detinentur Israelitae. Ex tercentis exemplaribus, quae constat ex epigraphe fuisse excusa hujus editionis, sex diversa studiis nostris e tenebris eruimus. Praeter binas sacri textus collationes, Kennicottianam ac nostram, tertiam hujus Psalterii ex exemplari quod nos ejus votis concessimus, edidit cl. Tychsenius, cui et germanicam ejus recensionem praemisit in Repertorio biblico et orient. tom. V p. 134. Sed quum haec in quibusdam a nostra dissentiat ob errata nonnulla quae doctissimo viro exciderunt, operae pretium ducimus ea animadvertere. Folia editionis, bis in binis integerrimis meis exemplis diligenter enumerata, sunt 153, non 149, ut ex mutilo suo exemplari is notat, desunt signaturae in primis 67 foliis, non 66, et incipiunt fol. 68, non 67, vocalia textui apposita usque ad Psal. IV 4, non 2, in postremis versibus rythmicae epigraphis legitur כי יזכנו, non כן, item ולקיים in Pihel, non ולהקים in Hiphil, ut excusum est in ectypo Tychseniano, in quo et in quatuor vocabulis יצורי אלהי עלי אלהי male omittuntur puncta abbreviationis. Nec recte in agnomine מונטרו ut cholem in eo repraesentatur punctum secundi vau, quod in editione magis divellitur, et est, ut

supra diximus, vocis compendium. Inflexio porro proprii nominis Veneria, cujus rectam lectionem per כ ex aliorum exemplarium collatione statim post editam Disquisit. nostram agnovimus, et tom. I Var. lect. p. CXLIX restituimus, adeo manifeste italica est, ut perperam conjiciat Tychsenius ex titulo מיישטר *meistr*, qui praeponitur, et optime in corrupto vulgi sermone in Italia adhibetur, Josephum illum fuisse natione germanum, ut conjicit perperam verba המיהדרים מן המהדרים membranacea designari exempla. Etenim quotquot hucusque nota sunt, vel vidi, vel possedi exempla, omnia chartacea. sunt, nullum membranaceum, et commode aliunde de chartaceis exponi possunt, quorum alia aliis sunt pulchriora et nitidiora. Quaedam etiam in Tychseniana collatione emendanda olim notavimus, quum varias nostrae editionis lectiones expenderemus ac potissimum Psal. LXXXVIII 13, ubi ei tribuitur lectio וצדקתך quae est Hooghthii, Hooghtio vero וצדקך quae est discrepans nostri Psalterii. Quod spectat vero ad locum qui reticetur, quum quinquennio post iidem characteres Commentarii Kimchiani, nonnullis mutatis litteris, in Pentateucho Bononiensi videantur adhibiti, non adeo aegre admitti posset conjectura in eadem urbe forte et nostrum librum fuisse excusum. Sed haec conjectura est adhuc nimis infirma, nam character qui habet varias litteras, ut diximus, ac melius infra ad eum Pentateuchum observabimus, certe diversus, caretque nexu, qui in altero usitatissimus est, idem sane dici non potest. Praeterea nostrorum typographorum nomina in illius epigraphe non apparent, et inverosimile prorsus est, quod verosimile opinatur Tychsenius, Josephum nostrum Veneria eundem esse cum Josepho filio Aaronis Strasburg, qui in Pentateuchi editione functus est correctoris officio.

MCCCCLXXIX

VI

R. Jacobi ben Ascèr Jorè dehà, seu II ordo Arbà turìm, in fol. max. Ferrariae an. CCXXXIX, *Chr.* MCCCCLXXIX.

Primus ordo Orach chaiim perrarae hujus editionis Mantuae, ut vidimus, excusus est ab Abrahamo Conato an. 1476. Quin immo, quamvis integra hujus nostri secundi ordinis, seu Jorè dehà, editio in epigraphe ad solam Ferrariam et solum Abrahamum ben Chaiim referatur, ejus tamen pars sine dubio ab eodem Conato et in eadem Mantuae urbe sub finem illius anni 1476 vel initium 1477 est impressa. Nam ex 91 foliis et uno albo ad calcem, quibus volumen constat, priora 31 excusa sunt typis Conati, reliqua typis Abrahami ben Chaiim, qui etsi sint prioribus valde similes et ejusdem formae, sunt tamen omnino diversi. Sunt enim exiliores, magis inter se connexi, ductus superior lamed in charactere Conati plerumque obliquus, in nostro fere semper rectus, nexus aleph et lamed hic plane alius, majusculas quadratas germanicae inflexionis habet Conatus, nullas Abrahamus ben Chaiimi. Hinc in prioribus illis 31 foliis a Conato impressis majusculae hae litterae observantur, sed a fol. 32, seu a con-

stitutione 126 ac deinceps nullae apparent. Itaque Abraham ben Chaiim exempla ipsa, quae imperfecta Mantuanus typographus reliquerat, Ferrariae supplevit, adhibitis iis iisdem typis, quos biennio ante adhibuerat in vulgando Gersonidis Commentario in Jobum. Forte Conatus, videns prodiisse Plebisacii integram ac commodiorem hujus operis editionem, continuandae suae consilium abjecit, edito tantum primo ordine, cui Abrahamus noster secundum addidit. Incertum autem est, num reliqui duo ordines lucem viderint, quumque meum exemplar atque utrumque Casanatense solos binos priores ordines complectantur, nullaque hucusque nobis innotuerint posteriorum vestigia, verosimilius putaverim non vidisse, etsi ben Chaiim animum habuisse videatur eos edendi. Nam reliquorum librorum nomine, ad quos exarandos divinum in epigraphe petit auxilium, bini qui supererant, ordines videntur intelligendi. Nisi dicamus nostros typographos solos priores ordines apud suos usitatiores edere constituisse. Quidquid vero de hoc sit, editio sane nostri Jorè dehà luculentissima est, congruitque in omnibus cum Mantuano Orach chaiim, excepta exigua illa typorum diversitate. Primum praefationis vocabulum omissum est, vacuo relicto spatio, ut pro ejus aetatis consuetudine minio et auro suppleretur. Ad calcem haec leguntur, partim rythmo, partim soluta oratione comprehensa:

אך ותכל מלאכת עבודת הקדש
יורה דעה ומשמיע שמועה
באב בחמשה עשר לחדש
וביום ו׳ נגמרה המלאכה המודיעה
רום ושבח לנערץ בשרפי קדש
נורא עלילה ותמים דעה
הוא יתמך ביד ימיני
שאר כתבי הקדש להתוות
ממצדיקי הרבים יחשבני
האדיר רוכב בערבות

ותשלם כל המלאכה מזה היורה דעה אשר נכתב על ידי הצעיר מאומני הדפוס אברהם הקושר יז״א בכמו״ר חיים זלהה׳ מתושבי עיר פיזארו ופה פיוארה נכתב ונחתם ערב נחמו יי׳ ינחמנו בנחמת ציון וירושלם ובבנין אריאל ובא לציון גואל ויגל יעקב ישמח ישראל אביר׳ לכל תחלה ראיתי קץ כבודך יי׳

„ Profecto absolutum porro est opus ministerii seu cultus sancti,
„ Jorè dehà, seu libri qui docet scientiam et audire facit famam.
„ Mense av, die XV mensis,
„ Feriaque VI finitum est opificium promulgans vel instruens.
„ Elatio et laus ei qui formidabilis est inter seraphinos sanctitatis,
„ Tremendus opere et perfectus scientia.
„ Is sustentet (me) manu sua dextera,
„ Ut exarem reliquos libros sanctos.
„ Ex justificantibus multos censeat me
„ Qui magnificus est et equitat caelos.

„ Completum est autem universum opus ordinis hujus Jorè dehà, qui scriptus est, seu impressus, per manus minimi ex typographis Abrahami compactoris, vel typotethae, qui videat semen et protrahat dies suos, filii R. Chaiim fel. mem. ex habitatoribus urbis Pisauri. Hic vero Ferrariae scriptus seu impressus, et obsignatus est vespere. Consolamini: Dominus solabitur nos consolationibus Sion et Jerusalem, et super aedificatione arielis, venietque ad Sion redemptor, et exultabit Jacob, et laetabitur Israel. Sic

fiat ac placeat Deo. Omni initio vidi finem. Ad gloriam tuam, Domine! „

Initiales litterae versuum, qui in editione dextrorsum collocantur, hic alternatim, puncto supra instructae, dant nomen Abrahami, seu typographi, quod uberius infra exhibetur, ut uberrime exhibentur feria hebdomadae, dies mensis, et editionis locus. Solus annus adeo obscure designatur, ut mihi olim visus sit abesse, quem tamen, re attentius considerata, nunc pro certo habeo indicari litteris puncto notatis quae diem mensis et hebdomadae immediate sequuntur, videlicet רהכדי, quae annum dant 239, Christi 1479. Quare enim feria, mensis, locus, typographus diligentissime indicarentur et solus annus omitteretur? Ac primae quidem binae litterae ר et ה componunt et ipsae nomen Abrahami, earumque punctorum ratio est apertissima. Sed quae alia esse potest, si haec non est, ratio punctorum litterarum, quae reperiuntur sub finem verborum יתמך ביד ימיני? Quamobrem ego quidem non dubito, quin iis editionis nostrae aera contineatur, quae aliunde optime cohaeret. Nam Abraham ben Chaiim statim post absolutum primum ordinem in edendo, ut vidimus, Gersonidis libro occupatus fuit, nec supplendo nostro vacare poterat. Potuit autem commodissime eo anno, quo biennii intervallum effluxerat. Binas autem illas priores litteras, quamquam compositionem ingrediantur nominis typographi, duplici hic fungi officio et in anni etiam computum esse necessario assumendas ipsa suadet ratio. Si enim omittantur ac solae postremae tres computentur, incideret editio tantum in annum 34, ac propterea secundus ordo integro biennio primi editionem anteverteret, quique Mantuae Conati typis post annum 1476 ac circa 1477 coeptus fuerat, Ferrariae ab Abrahamo ben Chaiim continuatus fuisset anno 1474, quod ridiculum plane est et ineptum. Igitur in Commentario meo De typographia hebraeo-ferrariensi, ubi editio nostra amandatur ad an. 1476, seu ad annum primi ordinis, restituatur annus 1479, idque fiat etiam in scriptoribus, qui meum illum libellum secuti sunt, idest in Denisio Suppl. ad Maittaire tom. I pag. 58, in Panzero Annal. typ. tom. I p. 397, et in cl. Audifredi, quem nuper sibi ereptum dolet Italia, in recentissimo suo Specimine historico-critico italicarum editionum sec. XV paucis abhinc mensibus Romae edito p. 238, ubi tamen quod mirum, Casanatensium nostrae editionis exemplarium nulla mentio. Haec de anno.

Quod ad locum vero attinet cum primum prodiit Commentarius noster De typographia hebraeo-ferrariensi, extiterunt docti nonnulli scriptores germani, qui epigraphi ipsi innixi, in qua legitur verbum נכתב, non נדפס, Ferrariensem nostram editionem in dubium revocarent, contendentes Ferrariae quidem conscriptum librum fuisse, non typis excusum. Inter hos doctissimus Doederlein in Bibliotheca theologica selecta parte I fasc. VI, clar. Nagelius, et Hufnagelius in Seileri ephemeridibus litterariis Gemeinnütz Betrachtungen an. 1780. Quamvis porro sat liquido constaret ex ipsa inscriptione, in qua bis verbum נכתב

occurrit, utrobique in significatione imprimendi esse sumendum, placuit tamen plenissime eorum difficultati satisfacere, ac decem editiones producere, in quibus et quidem saepe pluries in una eademque epigraphe, verbum כתב in ea significatione accipitur. Praestiti autem hoc in epistola ad eundem Hufnagelium data, quae praefixa legitur novae Erlangensi illius mei Commentarii editioni ab eo curatae. Nos ab iis afferendis supersedemus. Sed si cui volupe est loca ipsa inspicere, conferat in hisce nostris Annalibus epigraphes sequentium editionum, Orach chaiìm anni 1476, nostri Jorè dehà an. 1479, Bechinàd olam sine anno et loco, Jossiffòn seu Josephi Gorionidis, Nofed tzufìm, et Gersonidis Commentarii in Pentateuchum, omnium sine anno et loco ex editione Conati, Orach chaiìm an. 1485, Prophetarum priorum an. 1486, Isaiae et Jerem. Ulyssip. an. 1492, Even bochen an. 1489, quibus et aliae quaedam nunc accedunt antea ignotae. Familiarissimum ergo erat vetustissimis Hebraeorum typographis verbo כתב uti in sensu imprimendi. Quod et ex contextu ipso nostrae epigraphis ac verborum nexu manifeste colligitur. Nam dicitur liber נכתב ונחתם *scriptus et exaratus, obsignatus, impressus*, dicitur נכתב *scriptus* non a scriba, sed *a minimo typographorum*, dicitur נכתב seu *scriptus* post absolutum artificium typographicum, hujusque artificii ope. De ea ergo libri descriptione sermo hic est, quae fit per typos. Quibus quidem recte huic quaestioni satisfit, ad quam dirimendam latinas etiam editiones non paucas, si opus esset, addere possemus, in quibus scribendi, exscribendi, describendi vocabulum de typographia adhibetur.

MCCCCLXXXII

VII

Pentateuchus cum Chaldaica Onkelosi Paraphrasi et Commentario R. Salomonis Jarchì fol. Bonon. an. V. CCXLII ab O. C., Christi MCCCCLXXXII.

Primariam hanc rarissimamque Pentateuchi editionem, quae primam Soncinensem duobus annis superat, illustriores ipsi harum rerum scriptores, Bartoloccius, le Longius, Maittairius, Wolfius penitus ignorarunt, primusque omnium eam detexit doctissimus marchio Scipio Maffejus, qui perbrevem, sed accuratam illius notitiam exhibet in Verona illustrata parte III col. 273. Quamobrem hebraicae typographiae principatus qui Soncino ac Soncinensibus libris ea aetate tribuebatur, nostro huic Pentateucho a Maffejo ipso et eminentissimo Quirinio delatus est, pluribusque deinde Saxii ac Quirini disputationibus, ut vidimus Diss. praelim. §. VIII, locum dedit, quin alteruter ullum exemplar viderit, ne Veronense ipsum a Maffejo commemoratum, quod in bibliotheca Capituli cathedralis ecclesiae servabatur. Sed Saxius qui pro patria laude pro aris et focis dimicabat, quamvis nihil intentatum relinqueret, ut primatum hunc Mediolanensi ducatui sartum tectum servaret, ita tamen argumento quod ex nostra editione petebatur, ad incitas redactus est, ut nihil haberet solidi quod reponeret, ac cogeretur conjecturas easdem infirmissimas ac futilissimas repe-

tere, quae nulla ratione satisfaciunt, animumque produnt in veteri errore confirmatum. „ Huic, inquit, propensioni tuae erga Bononiensem primatum in hebraeis edendis voluminibus si mihi liceat aliquantulum refragari, id unum subjiciam non agi controversiam de anno, quo primum adhiberi coeperint hebraici characteres in cudendis linguae illius codicibus, sed de loco, in quo primum inventi fuere. Consensu autem omnium quos recensui, scriptorum Judaeis in oppido Soncino degentibus difficillimi hujus inventi gloria tribuitur. Quocirca affirmandum esse non dubito, praemissos fuisse Bononiam e gremio illorum opifices, qui in urbe illa, scientiarum matre appellata, primos conatus exererent. Neque enim credi potest diversum ab illis auctorem habuisse typos Bononiensis Pentateuchi. Siquidem exprimendum fuisset in libri calce nomen typographi, qui grande illud opus, nemine monstrante viam, explesset, praestitaeque industriae specimen in ea civitate primus dedisset. Id vero nec reperitur in memorato volumine, nec ab ullo alio unquam scriptore proditum fuit. Profecto deplorando infortunio depressum fuisse typographum illum credere deberemus, si memoria omnis et artificis, et ardui exacti laboris prorsus interiisset. Itaque asserendum reor, non ex alia officina quam Soncinensi, hebraicae typographiae desumptos fuisse typos Bononiam allatos, quod et alibi contigit, ut ex nomine adjecto Hebraeorum de Soncino manifeste comperimus; adeoque intacta remanet Mediolanensi nostrae metropoli peculiaris haec laus „.

Haec Saxius in Hist. typogr. litter. Mediol. ap. Argelat. tom. III pag. 53, non tam doctorum testimonio abutens, quam Maffei silentio. Testimonium enim illud aliquid quidem valeret, ut apposite observat cl. Tiraboschius Hist. ital. litter. vol. VII p. 169, si probari posset auctores qui gloriam hanc Soncino attribuunt, Bononiensem Pentateuchum agnovisse. Sed eum non cognoverunt, eaque aetate vivebant ac loquebantur, qua detectus adhuc is non erat, ac primae et antiquiores habebantur Soncinenses editiones, aliter opinaturi, si post illius detectionem scripsissent. Maffejus autem solum annum et locum innuit, quia sic perbrevis ferebat ejus descriptio, sed et typographum proferre optime poterat, ut poterant disceptatores ipsi clarissimi, litemque ex editione ipsa dirimere, si eam consuluissent. Paullo infra videbimus non interiisse deplorando infortunio memoriam artificis, sed disertissime ad libri calcem servari, nullamque in hac editione partem Soncinenses typographos eorumque typos habuisse. Videbimus etiam paullo post, seu ad an. 1488, tantum abesse ut e Soncino typographus ad excudendum Pentateuchum nostrum accitus sit, ut potius e Bononia Soncinum nostri hujus Pentateuchi typographus sit accersitus ad imprimenda integra Biblia. At vero si falsae sunt Saxii conjecturae, verior non est Maffei opinio, constatque tum ex Dissertatione nostra praeliminari, tum ex libris hucusque illustratis non minus falso Bononiae hebraicae typographiae primatum attribui. Et Tiraboschius, qui et ipse eum agnoverat in prima suae Historiae editione, in

Mutinensi novissima eum revocavit, monens quatuor a me detectos vel prolatos libros fuisse Bononiensi Pentateucho vetustiores, ut revocavit Kennic. principatus honorem inter editiones sacri textus, quem ei detulerat in statu collationis an. 1767. Praecessit enim, ut vidimus, Psalterium anni 1477. Verum si prima non est sacri textus, prima sane est Pentateuchi et chaldaicae Onkelosi Paraphrasis, et quidem luculentissima et accuratissima editio.

Ea statim a textu ipso incipit, solo praefixo in superiori paginae parte titulo Rasciani Commentarii בראשית ברא, qui et vicem gerit tituli primae sectionis. Nam per omnes libros ac singulas paginas tituli sectionum continuantur. In interiori parte stat sacer textus, in exteriore ad ejus latus Targum, supra et infra Commentarius. Lineae textus, quum integram is paginam occupat, sunt 20, Targumi vero 41, in aliis minores, prout majus vel minus spatium occupat Jarchius. Prima pagina continet lineas textus 14, Onkelosi 27 impressas, Commentarii in superiori margine 6, in imo 22. Litterae sacri textus sunt quadratae, majores, hispanicae, non tamen forma sat elegantes, ut eas appellant Maffejus et Tychsenius. Eae non sunt omnes perfecte aequales, nec eadem conveniens et apta servatur proportio. Vau, zain, scin sunt ceteris minores, nec recte formatae, nonnullarum ductus non sat recti, lamed supra modo rectum, modo obliquum, modo ad dexteram, modo ad sinistram deflectens, modo brevius, modo longius, pe interius nimis inflectit, nec recte compositum, mem imperfectum, ain hiulcum, multumque abest, ut forma nostri characteris ad ejus elegantiam accedat, quae in Lusitanis editionibus deprehenditur. Quod tamen mirandum non est, quum sapiat noster artem et aetatem adhuc nascentem, lusitanus provectam, hic ab Italo Judaeo prodeat, qui primum edit ejus specimen, alter ab Hispanis calligraphiae laudibus celebratissimis. Character Targumi et Commentarii rabbinicus est, magis tamen ad quadratum accedens, quam hodiernus, minusculus, sat elegans, ejusdem formae cum eo, qui adhibitus est in Kimchiano Commentario Psalterii an. 1477, sed non idem. Aleph, lamed, ain, pe, scin differunt, suntque in Pentateucho nostro elegantiores, elegantius etiam est vau, ac consuetus nexus aleph et lamed, qui deest in editione Psalterii, hic frequentissime adhibetur. In tota editione bini hi characteres tantum occurrunt. Nam tituli sectionum tum in chaldaica Paraphrasi, tum in Jarchii expositione litteris exarati sunt quadratis sacri contextus. Sacer textus habet puncta et accentus, et litterae begadchephad in primis foliis lineola raphè supra distinguuntur, in reliquis omittitur, vel rarissime conspicitur, sed ea, modo saepius, modo rarius, iterum comparet in Levitico ac Numeris. Desunt litterae dilatabiles, ac linearum vacua explent initiales dictionum quae sequuntur. Desunt et numeri, signaturae, custodes, nec ullae sub librorum initium majusculae vel ornatae extant litterae vel verba.

Folio 54 verso incipit Exodus, 103 Leviticus, 135 verso Numeri, 179 verso Deuteronomium, folioque

219 pariter verso explicit Deuteronomium ac Pentateuchus, prolixa hac correctoris subjecta epigraphe, qua contexuntur libri laudes, ac non modo annus, mensis, locus, in quo is absolutus est, sed et eorum nomina, qui sumptus et operam impenderunt, posteritati demandantur. אני יוסף חיים בהר׳ אהרן זלהה׳ שטרשבורק צרפתי ראיתי המלאכה הנכבדרת אשר החלו לעשות חומש ותרגום ופירוש רשי׳ בכרך אחד ובהנתי כי מאת ה׳ היתה זאת נפלארת היא ונתתי את לבי להגיה הפירוש מרשי׳ ולהחזיר העטרה לישנה כפי האפשר וזאת היתה משמרתי ידעתי ימצאו בו התלמידים מרגוע לנפשותם שמה ינוחו יגיעי כח כי הדברים אשר חשוכים בהבנתם מרוב הטעיות יהיו להם לאורה וימתקו להם בפיהם כדבש למתוק ומאד העירותי לב המשתדלים במלאכה לעשורת אותה ובהיותם תלוים ועומדים אם לעשות אם לאו שנסתי מתניהם אמרתי להם חזקו ואמצו כי מלאכת שמים היא.

ותשלם כל המלאכה מלאכרת עבודרת הקדש חומש ותרגום יפירוש (sic) רשי׳ בכרך אחד מדוקדקים במאד בכל הצריך להם והעיר ה׳ את רוח המפואר משכיל ונבון האלוף כמר׳ יוסף קרווישה יצו׳ בכמר׳ אברהם זלהה׳ להכין ארת כל העבודה לעשורת אותה בכספו וזהבו הכין כל כליה והשכיר אומנים ופועלי׳ הבקיאי׳ הריזים במלאכת הדפוס חכם חרש יבקש לו וגם יודעי ספר להגיה החומש גם במלא והסר וקריין ולא כתיבן וכתיבן ולא קריין בנקודו וטעמיו והתרגו׳ כהלכתו וגם פירו׳ רשי׳ להעמידו על מכונו ותלו.

ויבחר לו איש בקי במלאכה אומן יקרא אין כמוהו בכל הארצורת במלאכת הדפוס בכתב אשירי ובלשו׳ עבר שמו נודע בשערים מישטרה אברם יצו׳ בכמר׳ חיים זלהה׳ מן הצבועים מארץ פיסרו ונשלמה המלאכה התמימה ביום ששי בחמשה ימים לירח אדר הראשון שנת חמשת אלפים ומאתים וארבעים ושתים לבריארת עולם פה בולוניא · · וכל הקונה מאלו הספרים טוב טוב יאמר הקונה וההוגה בהם יראה זרע יאריך ימים וחפץ ה׳ בידו יצלח וחיים ושלום על ישראל אמן.

„ Ego Joseph Chaiìm filius R. Aaron Strasburg Gallus vix vidi opus eximium, quod coeperant facere, vel faciendum susceperant, Pentateuchi cum Targum et Commentario Rascì uno volumine, quod probavi vel expertus sum a Domino esse opus hoc adeo admirabile, dedique cor meum, ut corrigerem Rascianum Commentarium, et restituerem coronam, seu puritatem lectionis, prout fieri poterat, haecque extitit cura seu inspectio mea. Scio quod in eo invenient discipuli requiem animabus suis, hic quiescent defessi viribus, quia verba quae tenebris erant involuta in eorum explanatione ob errata, erunt ipsis plana, et dulcescent in ore eorum, sicut mel suave. Excitavi porro vehementer cor eorum qui operi incumbebant, ut illud urgerent, cumque ipsi erant suspensi et immobiles, num facerent, necne, accinxi lumbos eorum, dicens illis, roboramini et fortes estote, quia opus Dei est istud „.

„ Absolutum est ergo universum opus, opus ministerii sancti, Pentateuchus, Targum et Commentarius R. Salomonis Isaacidis uno volumine accuratissimi quoad omnia quae iis erant necessaria, excitavitque Dominus spiritum ornatissimi, intelligentis et eruditi magnatis domini Josephi Krovethae vel Karvethae, quem Deus tueatur, filii domini Abrahami fel. mem. ut pararet omne quod operi inservire debebat, illudque argento et auro suo exequeretur. Paravit is omnia instrumenta, ac mercede conduxit artifices et ope-

rarios, qui periti essent et instructi in arte typographica, doctum opificem quaesivit sibi, et literatos quoque viros, ut Pentateuchum emendarent etiam in plenis ac defectivis, et in dictionibus, quae leguntur et non scribuntur, vel scribuntur et non leguntur, tum in vocalibus ejus punctis et accentibus, necnon Targum juxta constitutionem suam, et Commentarium Rascì, eum ad locum et basim suam, seu pristinam integritatem restituentes „.

„ Selegit autem potissimum sibi virum artis peritum, artificemque accersiit, qui parem sibi non habet in cunctis regionibus in arte typographica, in charactere quidem hebraico et lingua hebraica, cujus nomen notum est in portis, seu celeberrimum, magistrum Abramum, quem Deus tueatur, filium domini R. Chaiìm fel. mem. ex tinctoribus Pisaurensis provinciae, finitumque est opus perfectissimum feria VI, die V mensis adàr primi anno conditi orbis V̄. CCXLII hic Bononiae. Jam vero quicumque aliquod acquirit ex hisce exemplaribus, optimum illud praedicabit vel reperiet. Qui acquirit et meditatur in iis, videat semen, producat dies, et voluntas Domini in manu ejus prosperetur, et vita et pax sit super Israel amen „. Non dubito quin operis corrector et laudator, qui hanc inscriptionem subjecit, frater sit illius Gabrielis filii Aaronis Strasburg, cujus fusa alia extat epigraphe in editione Soncinensi tractatus Beracòth anni 1484, idemque videtur cum Josepho Tranburg, quem Bononiae nostra hac aetate domicilium suum fixisse ac floruisse perhibet R. Ghedalias Jachia in Scalsceled fol. 62. Facile enim cognomina corrumpuntur, et ex Trasburg, quod elisa prima littera pro Strasburg saepe usurpatur, ut demonstrant bina exempla apud eundem auctorem Scalsceled eodem loco, Tranburg mendose fieri potuit. Superfluum autem est monere cognomen hoc in Josephi aliorumque familia retentum esse ex Argentorato, unde eorum majores erant oriundi.

Editorem in sacro textu excudendo masoreticum et hispanum codicem habuisse ob oculos omnia demonstrant, quod tamen non obstat, quin in plenis ac defectivis ab hodierno aliquando dissentiat, et alicubi etiam in gravioribus lectionibus, ut Gen. XXXVI 39, ubi cum variis codicibus ac perpaucis aliis editionibus legit הדד, et XLVII 17, ubi unica est editio, quae cum paucis meis mss. (nam Kennicottiani silent) habeat defective מקנהם. Quod spectat tamen ad exemplarium dissidium, quod protuli Gen. V 3 ad vocabulum בצלמו, re diligentius examinata, manu tantum in uno ex meis exemplis correctum est beth, nec ulla hic est editionis discrepantia. Magis discrepat Onkelosus, ut patet ex variis lectionibus, quas in collatione nostra protulimus, ut et Jarchianus Commentarius, qui praeterea est saepe hodierno plenior et accuratior. Praeter exemplar Veronense quod supra commemoravimus, quinque alia e Judaeorum latebris nos extraximus, quorum tria viris clarissimis, Tychsenio, Crevennae, Canonici concessimus, bina collectionem nostram ornant. Extat etiam in bibliotheca ducis Margravii Baden Durlach, in Mutinensi Atestina, Casanatensi, Cardinalis Zeladae olimque

apud cl. Kennicottum. Ac cuncta haec exemplaria membranacea sunt, ac propterea cuncta quae aetatem ferebant, membrana esse excusa observavimus in opusculo De ignotis antiquissimis sacri textus editionibus pag. 4. At vero deinceps bina chartacea in manus meas inciderunt, aliud quidem valde mutilum, quod notavimus in Apparatu hebraeo-biblico pag. 52, aliud integrum quod ut unicum extremaeque raritatis habendum est. Etenim quamvis membranacea exempla principum editionum sint mss. ipsis rariora ac pretiosiora, ut recte monet Vulpius *Libreria de' Volpi* pag. 555, hicque canon jure ac merito vigeat in reliquis editionibus, in quibus paucissima sane ejusmodi numerantur exempla, contra tamen de nostra hac est constituendum, cujus undecim saltem dignoscuntur membranacea, unicum integrum chartaceum. Ac praeter nos, qui tum in Disquisitione de hebraicae typographiae origine p. 16, tum pluries deinde de nostra hac editione egimus, alii non pauci scriptores sive fusius, sive brevius eam recensuerunt, potissimum vero Fabricy *Titres primitifs de la révélation* tom. II p. 388, Maschius Biblioth. sacra tom. I pag. 122, Tychsenius Repert. orient. tom. VI pag. 65, Eichornius Introd. in V. T. tom. II p. 194, Kennicottus Diss. gen. in V. T. sub num. 256, quem illi in collatione sua assignavit, Tiraboschius loco superius allato, Denisius Einleitung etc. tom. I pag. 212, et Supplem. Maittair. tom. I pag. 155, Panzer Annal. typ. tom. I, ac nuperrime Audifredius in Specim. editionum italicarum sec. XV pag. 52.

Ex hisce porro recensionibus fusior est Tychseniana, in nonnullis tamen non sat accurata, ideoque ad nostram hanc emendanda. Editio non constat foliis 218, sed 219, raphè super litteras non modo in primis foliis, sed et in Levitico ac Numeris conspicitur, ac proinde non falsum est, ut in ea arguitur, sed verissimum quod ego olim observaveram De hebr. typogr. origine pag. 50 eam lineolam occurrere in omnibus editionibus, quae Biblia anni MXDIV praecesserant. Quod et verissimum esset, etiamsi sola ejus vestigia in primis foliis extarent. Nescio autem an quidquam esse possit minus verum eo quod notat doctissimus vir, ex hoc nostro Pentateucho Soncinensem anni 1488 esse petitum ac maximam esse inter utrumque harmoniam ac consensionem. Noster enim ex hispanico ac masorethico codice est haustus, Soncinensis ex germanico et amasoretico, ac maxima est inter utrumque dissensio, ut patet ex utraque collatione, Kennicottiana ac nostra, luculentissime. In epigraphe autem sequentia corrigantur errata, הנכבדה in הנכבדת, חדלו in החלו, צורו in ינוחו, תלוי in . תלו, שבכתי in שנסתי, et restituatur in aera numerus וארבעים omissus, quo deficiente exurgit annus mendosus 5202, Chr. 1442. Denique ut alia praeteream, nullo prorsus fundamento conjicitur pag. 77 exempla hebraicarum editionum sec. XV, quae initiales litteras omittunt, ut iis miniandis locus daretur, Christianis fuisse destinata, reliqua Judaeis. Utraque enim solo Judaeorum usui, quem editores respiciebant, sunt consecrata, nec ex ea caussa derivare potest dis-

crepantia editionis Brixiensis a Pisaurensi an. MXDIV, videlicet quod haec initiales exprimat, illa non habeat, quia Pisaurensis editio, ut videbimus, est supposititia, ideoque nulla esse potest ejus varietas. In doctissimo vero Fabricy, qui ex commemoratis auctoribus omnium primus Pentateuchum nostrum ex exemplari eminentissimi Zeladae descripsit pro *de Strasbourg* lege *Strasbourg*, ita ut cognomen hoc sit familiae Josephi Chaìim et R. Aaronis, non Argentoratensis, quemadmodum et nos olim vertimus, et pro Mistella Jenaram corrige Meìstra Abram, et Bononiae nomen cum duplici jod et aleph, ut nos expressimus.

MCCCCLXXXIV

VIII

Tractatus talmudicus Berachoth seu de Benedictionibus cum Commentario R. Salomonis Jarchì, Tosaphòth seu Additamentis, Piskè tosaphòth, seu Decisionibus additamentorum, Miscnico textu, et R. Mosis Maimonidis Commentario in eundem textum, in fol. Soncini an. CCXLIV, Chr. MCCCCLXXXIV.

Nihil hucusque de Talmude prodierat, vastissimo notissimoque opere quod jus omne judaicum sive civile, sive canonicum, ac Judaeorum traditiones et antiquitates complectitur. Soncinates typographi qui ceteros ingenio atque artis praestantia vicerant, vicerunt et animo, illudque edere cogitarunt selectissimis commentariis atque animadversionibus illustratum. Luculentissimum itaque susceptae gravissimae provinciae specimen dederunt in primo ipso tractatu primi ordinis excudendo, qui Berachòth appellatur, propterea quod de benedictionibus agat. Editio, cujus magnificum apud nos extat membranaceum exemplar, incipit a prima tractatus dictione מאימתי majusculis ac duplicibus exarata litteris, ligneoque circumsepta foliorum ornatu. Textus Gemarae, qui medium et interiorem occupat locum, charactere quadrato est excusus, rabbinico minori qui hinc inde distribuuntur bini Commentarii, Rascì et Tosaphòth, quique iis subjiciuntur ad calcem Piskè tosaphòt, Mordachài, ac Maimonidis Commentarius. Praeter characterem textus, qui est mediocris formae, bini alii pariter quadrati conspiciuntur, major unus, quo initialia verba Gemarae, Mordachì ac Miscnae, ac finis capitum Gemaricorum et Maimonidis expositionis expressa sunt, minor alter, quo excusi sunt in superiori margine tituli capitum, et verba initialia ac finis sectionum Commentarii ac Tosaphòt, ad calcem vero rythmica epigraphe, inter binas prosaicas inserta. Quadrati sunt omnes formae hispanicae, omnesque, etiam rabbinici, hodiernis valde similes, nihil habentes antiqui, rudis, singularis, ut fit in praecedentibus editionibus, iisque qui anteà comparuerant, multo elegantiores. Quod sane prodit Soncinatum acumen ac maximo iis est honori. Numeri desunt, sed adsunt supra tituli capitum, infra vero signaturae quibuslibet quaternionibus modo majoribus textus, modo minoribus quadratis typis indicatae, quarum prima est אב, quae ostendit folium album, quod in Vaticano exemplari praecedit, in meo desideratur, etsi ad operis textusque

impressi perfectionem et integritatem non pertineat, ad editionis tamen integritatem pertinere ac supputandum esse.

Sub finem haec primum occurrit Josuae Salomonis epigraphe, qua gratias Deo peragit de operis perfectione, tempusque, ac locum designat, quo ea contigit. אברך ה׳ אשר יעצני חזקני ואמצני לקרבה אל מלאכת עבודת הקדש הזאת ולהתחיל ולגמור מסכת ברכות זו עם פירוש רש״י ותוספו׳ ופסקיהן והמשניות עם באור הרמ״בם ז״ל והמרדכי גדול עם השתדלות והשגחה בכל הפרטי׳ הצריכי׳ לשלמות מלאכה זאת וראיתי לשתף אלו החבורי׳ הנחמדי׳ יחד להיות חבורם נאה ומתקבל לכל יודעי דת ודין כי לא יצטרכו לזולתו מן הספרים בזאת המסכתא באשר חלקיו בכללם יקיפו בכל עיונים גדולי׳ חקרי לב ההכרחיים להוצי׳ לאורה מעניני המסכת׳ משפט צדק וסיימתיה פה עיר שונ״צין היום עשרים לחדש טבת שנת גמ״רא לפ״ק ומי שזכני להשלמת ספר זה יזכני ברחמיו לחקוק עוד מן התלמוד מסכתות אחרות בסדר ושלמות זה אשר ימעט מציאות דוגמתם בגלותנו כאשר עם לבבי ועם לבב אהבי תורתנו למען יחזקו בתורת ה׳ משיבת נפשנו לבית קדשנו ושם יגיה חשכנו יאיר עיני שכלנו במצפוניה וסתריה יגלה לנו ולבנינו וכל הנלוים אלינו כנפש המדבר שמח במנת חלקו להגדיל תורה חשקו דרש טוב לעמו יהושע שלמה בן הח״ר ישראל נתן י״צו איש שונצ״ינו „ Benedicam Domino qui consilium dedit mihi, et confirmavit roboravitque me ut accederem ad opus hoc ministerii vel cultus sancti, et inciperem ac perficerem tractatum hunc Beracòth, seu de Benedictionibus cum Commentario Rascì, Tosaphòth, seu Additamentis et Decisionibus eorum, nec non Miscnicum textum cum expositione R. Mosis Maimonidis fel. mem., et Mordachì magno omni studio et cura quoad res omnes peculiares quae hujus operis perfectioni erant necessariae. Conjungendos autem simul censui hos libros desiderabiles, quia eorum compositio jucunda est, et ab universis legis jurisque peritis acceptata, eo quod nulli alii libri requirantur praeter illos quoad hunc tractatum, quum partes ejus in summa earum complectantur in omnibus speculationibus eximias animi perscrutationes, necessarias ad educendum ad lucem de rebus ad tractatum ipsum pertinentibus judicium justum. Absolvi porro illum hic in urbe Soncini die XX mensis tebeth anno Gemarae vel complementi, seu CCXLIV minoris supputationis. Is ergo qui dignum fecit me ut absolverem hunc librum, dignum faciat misericordiis suis, ut imprimam adhuc hoc eodem ordine et perfectione reliquos Talmudis tractatus, quorum rara est copia exemplarium in exilio nostro, ut est in corde meo et eorum qui diligunt legem nostram, ut fortes sint in lege Domini, quae convertit animam nostram ad templum sanctum nostrum, ubi illuminabit tenebras nostras, illustrabit oculos intelligentiae nostrae in mysteriis illius, et abscondita ejus pandet nobis filiisque nostris, nec non omnibus qui adjungunt se nobis, juxta animum ejus qui loquitur, qui laetatur in portione partis suae ut magnificet legem oblectamentum suum, et quaerit bonum populi sui, Josuae Salomonis filii sapientis R. Israelis Nathan, quem Deus tueatur, Soncinensis „.

Huic epigraphi poeticam aliam Josuas subjecit, quae constat versibus duobus ac triginta, qui in binas columnas dividuntur, quilibet autem versus in tres sectiones vel membra,

ita ut hexaplaris plane in editione ea sit, seu sex contenta columnis ac divisionibus. Bina priora membra eundem servant rythmum, ac constat unumquodque jambo et spondeo, tertium rythmo omnibus versibus communi absolvitur, et uno conficitur bacchio. Nos carmen hic exhibebimus per singulos versus ac membra incisa distributum.

ידידי אל   בישראל   זמירה
אשר אביא   לצור אבי   תשורה
הלא שמעו   וגם תדעו   ברורה
מאד הפליא   חסדיו לי   לעזרה
והורני   אזרני   גבורה
לראש פנה   חקוק משנה   גמרא
שלמה עם   ציפור דעים   בארה
ותוספות   משותפות   פתורה
עבור גבר   פסק גובר   זכירה
בסימנים   לשון דינים   קצרה
שארית כי   במרדכי   סדורה
להמריצו   מצוא חפצו   מהרה
להביני   למימוני   אמירה
במשניות   לגלות   בחורה
משכתיה   סמכתיה   ספרה
למען כה   תהי חבה   יתרה
החלותי   וכליתי   לנורא
תהלה עד   בבית ועד   תדירה
ברכות ראש   לאיש ידרוש   עתירה
פני רחום   צפות תנחום   בצרה
ועוד הכן   ספרים־כן   כצורה
כזאת שברי   עלי יוצרי   גמירה
בעיר שונצין   גבול קצין   למשרה
מבקש דת   קנות חמדת   סחורה
בעת באו   בכסף או   תמורה
תשוקתו   כחזקתו   מסורה
ונאמן הוא   מזכהו   לתורה
כמפעלו   לשלם לו   שכרה
וכל חוסה   ברועה שה   פזורה
לבית מקדש   בשיר חדש   ואורה
יביאנו   ויראנו   עטרה
ליושנה בו   חזור יום בא   פארה

„ Dilecti Dei in Israel, carmen
„ Quod offero Deo patri meo in donum,
„ Annon auscultabitis, simulque intelligetis clare,
„ Quod magnopere is mirificavit benignitates suas mecum ad auxilium,
„ Et docuit me, accinxitque me fortitudine,
„ Ut in capite anguli imprimerem exemplar Gemarae
„ Perfectae cum corona cognitionum, expositione,
„ Et Additamentis conjunctis ad explanationem?
„ Percurre, vir, vel percurrat vir, decisionem validam, memoratam
„ In indicibus stylo judiciali perbrevi,
„ Quoniam reliquum in Mordachi est dispositum,
„ Ut eum confirmet ad reperiendum cito desiderium suum.
„ Ad erudiendum me Maimonidis sermo vel Commentarius
„ In Miscnam ad eam explanandam est delectus.
„ Extraxi illum et adjunxi libro
„ Ut per eum esset dilectio uberior.
„ Incepi et finivi (tremendo
„ Sit laus in aeternum in domo conventus assidui)
„ Beracòth tractatuum primum. Ab unoquoque quaerit is supplex
„ Vultum clementem, explorans vel sperans solamen in angustia.
„ Parare autem adhuc libros sic, forma
„ Huic simili, est spes mea. Per me artificem absolutum est
„ In urbe Soncini, termino confinium dominii, vel principatus.

„ Qui quaerit religionem et acquirere pretiosam mercem,
„ Opportune veniens cum pecunia vel permutatione,
„ Desiderium ejus in robore suo tradetur, seu plene implebitur.
„ Qui vero fidelis est (Deus), ipse dignum faciat eum legis
„ Juxta actionem suam retribuens illi mercedem,
„ Et omnis qui in pastore confidit, quasi ovis dispersa,
„ Ad templum sanctum in novo cantico et in splendore
„ Deducat illum et videre faciat eum coronam
„ In pristinum statum, cum per illum redux erit dies venturus cum gloria.

Nota carmen esse acrosticum et in initialibus versuum primae columnae, qui hic alternatim positi sunt, typographi nomen Josuae Salomonis delitescere. Atque hae epigraphes folio penultimo verso reperiuntur. Sequitur folio postremo tertia fusior correctoris R. Gabrielis Strasburg, qua optimum exponit commendatque R. Israelis Nathanis consilium, qui typographiam erexit et promovit, susceptaeque a filio nostrae hujus editionis laudes persequitur. בהיות ישראל שה פזורה בעמים נפוצים בארצות זעיר שם זעיר שם ורבים מעמי הארץ יושבים ארץ לא נושבת לא עבר בה איש משכיל ולא ישב אדם ביקר שם לב חכם יבן את אלה יסתכל באספקלריאת תבונתו כי לא יוכל הנער המנוער מן החכמה לשבת מושב אלהים עולים ולעמד בהיכלי עונג זיז כבודם ואף זרה חלי מבלתי תעלדה וארוכה זולת לאשר לבו נכון לו להבין בספרים בעשות לו ספרים הרבה יקום לקול הצפור יתבודד בהם יבינוהו רזי עולם וסתרי עליון ילמדוהו הן כל אלה ראתה עין החכם השלם איש אלהים הח"ר ישראל נתן יצ"ו בר שמואל זל וכי רבים ישוטטו לבקש דבר ה׳ ולא ימצאו מאשר מטה ידם ואין משגת לקנו׳ ספרים די מחסור אור יחסר לנכנס בפתחה אתם החכמה לזאת לב החכם הנ"ל נשאו ויאמר איכה אשב בבית ארזים וארון הברית יושב ומונחה בקרן זוית אין איש דורש משפטיו ויקרא לבנו איש אשר רוח אלהים בקרבו הח"ר יהושע שלמה יצ"ל היושב בעיר שונצי"ן אשר במדינת לו"נברדי"אה ויצו אותו לאמר אתה תבנה בנינו של עולם תרומם את קרנות החכמה ועשית ספרים בדפוס להיות בהם שתי תועלות מפורסמות האחת כי יעשה מהר הרבה מהם עד תתמלא הארץ דעה השנית כי לא יעלה ערכם לערך הנכתבים בקנה או בעט ברזל ועופרת ואשר לא מצאה ידו די קנינים יקרים יקנה מהם בזול תחת הזהב יביא כסף ונזדרז הבן למצות האב ויבא הביתה לעשות מלאכתו מלאכת שמים וכי מדת הסידות עלתה בו עם כי ברכת ה׳ היא תעשיר פתח במסכת ברכות תחלה יעשה מכונה דפוס ז"ל גמרא ופירו׳ ותוספות ופסקיהן ומרדכי ופירוש המשניות מהרמ"בם ז"ל הכל בחבור אחד ואחרי נגמרה מלאכת החבור ההוא הביאוהו לפני וששתי כבעל כל הון לראותי תפארת החבור הלז ומעלתו חקוק בספרי גדולים חקקי לב שרי וטפסרי התורה הנקובים בשמות אשר ממימיהם ישקו את העדרים עד אם כלו לשתות וכל צמא הולך למים לא יצטרך לזולתם ולמען דעת חמדת החבור והדרו על השלמות קראתיו מראשו לסופו ומצאתיו נקי מכל מום ושלם הדקדוק בתכלית ואם כי מן הנמנע שלא תמצא בכל ספר מהספרים איזו הטעאה קטנה הלא בספר החבור הזה מצער היא מאד תבטל במעוטה בי הספר הנ"ל רובו דרובו שהוא כבולו שלם הדקדוק בתכלית השלמות כלל העולה אין להטיל מום בקדשי שמים חנם כי ספר הקדש הזה יפה אף נעים אם בדקדוק אמתי אם בהדרת הכתיבה והסדור הנכבד אם בקובץ המפואר הנעשה שם מן הספרים הנ"ל

אשר הם שרש מסורת החכמה אצל כל חכמי לב יתבונן בכל אלה כל איש אשר חשקה נפשו בתורה וכי ילמוד בספר זה ידע בידיעה ברורה כי ממנו תצא תורת אמת וכל דבריו דברי צדיקים ושלו׳ כנפש הכותב יום ששי לחדש אדר ראשון שנת רמ"ד לפ"ק הקטן גבריאל בן ה"ר אהרן זלה"ה שטרשבורק.

„ Cum sint Israelitae pecudes dispersae inter populos, sparsi per regiones, pauci hic, pauci illic, multique ex indoctis inhabitent terram inhabitatam, per quam non transit vir intelligens, et in qua non degit vir in gloria, cor sapientis intelligit haec, perpenditque in speculo intelligentiae suae, quod non potest puer amotus a sapientia habitare habitaculum celsorum magnatum, et stare in palatiis jucunditatis splendoris gloriae eorum. Et sane haec infirmitas est sine remedio, nec sanabilis, nisi in eo, cujus cor paratum est erudire se in libris, faciens sibi libros multos. Hic exurgit ad vocem passeris, solitariam vitam ducit inter illos, ipsi vero erudiunt eum in secretis mundi, et abscondita Altissimi docent illum. En cuncta haec vidit oculus sapientis perfecti, viri Dei, sapientis R. Israelis Nathan, quem Deus servet, filii R. Samuelis fel. mem., et quoniam multi circuunt ut exquirant verbum Domini, et non inveniunt, quia inclinata est manus eorum, et non possunt comparare libros quantum satis est ob defectum, quo laborat academia vel schola in aperiendo ipsis sapientiam, ideo cor sapientis supra commemorati elevavit eum, dixitque, quomodo ego habitabo domum cedrinam, et arca foederis habitat derelicta in cornu angulorum, nec ullus est qui exquirat judicia ejus? Vocavitque filium suum, virum in cujus interiori est spiritus Dei, sapientem R. Josuam Salomonem, quem Deus tueatur, habitantem in urbe Soncini, quae est in provincia Lombardiae, et praecepit ei dicens: tu aedificabis aedificium mundi, elevabis cornua sapientiae, et facies per typographiam libros, in quibus bina reperientur manifestissima emolumenta, alterum quidem, quod fient quamcitissime multi ex eis, donec impleatur terra scientia vel cognitione, alterum vero, quod non ascendet pretium illorum ad pretium eorum qui calamo scribuntur, aut stylo ferreo et stanno, et qui non poterit pretiosas acquisitiones facere, acquiret ex iis vili pretio et pro auro educet argentum. Accinxitque se filius ad praeceptum patris, et contulit se domum ut faceret opus suum, opus Dei. Et quoniam virtus pietatis occupat eum, et benedictio Domini facit divitem, initium fecit a tractatu Berachòth seu Benedictionum, et impressit illum, Gemaram videlicet, Commentarium, Tosaphòth, seu Addiramenta, Decisiones eorumdem, nec non Mordachì et Commentarium Miscnae R. Mosis Maimonidis fel. mem., omnia uno volumine comprehensa. Postquam vero absolutum est opus hujus compositionis vel voluminis, adduxit illud coram me, laetatusque sum, sicut super omnibus divitiis, pulchritudinem videns operis ejusque excellentiam, impressum super libris magnorum virorum, legislatorum sapientum, procerum et principum legis, qui nominatim expressi sunt, ex quorum aquis vel fontibus bibendum dant gregibus, donec finie-

sint bibere, et omnis qui sitit, et it ad aquas, non habet necesse alios expetere. Ut autem cognoscerem pretiositatem operis ejusque praestantiam quoad perfectionem, legi illud a capite ad calcem, reperique illud purum ab omni macula ac perfectissimum quoad leges grammaticas. Et quamvis impossibile sit, quod non reperiatur in unoquoque libro, quicumque is sit, aliquis exiguus error, nonne in libro hujus compositionis vel voluminis id perexiguum plane est, cessatque propter extremam parvitatem? Quandoquidem liber, quem supra commemoravi, quoad maximam ejus partem ac fere totus perfectus est in subtili sermonis discussione perfectione summa. Consequitur hinc non esse projiciendum vitium in sancta Dei frustra, quia liber sanctus est hic, pulcher et decorus sive grammatica et accurata disquisitione, sive elegantia scripturae vel impressionis, et ordine egregio, sive praeclara unione quae hic fit, librorum quos diximus, qui sunt fundamentum traditionis sapientiae apud omnes sapientes corde. Ex his porro omnibus intelligitur, quod omnis vir qui diligit legem et discit in hoc libro, cognoscet cognitione pura, quod ex eo egreditur lex veritatis, et cuncta verba ejus sunt verba justorum. Pax autem juxta animum ejus qui scribit die VI mensis adar primi anno 244 minoris aerae, minimi Gabrielis filii R. Aaronis fel. mem. Strasburg „.

Dies VI mensis adar primi, quo haec scribebat corrector, incidit in februarium nostrum anni 1484. Sed dies XX mensis tebeth, quo absoluta dicitur editio in prima epigraphe Josuae filii Nathanis, incidit in postremos dies decembris an. praecedentis 1483, vel in primos januarii an. sequentis, ac propterea superat noster tractatus diebus sex supra viginti Mivchàr appeninìm, quod prodiit tantum die XVII mensis sequentis scebat. Primus ergo Soncinatum foetus est nostra editio, non ipsum Mivchàr, ut male hucusque auctores fere omnes constituerunt, quos et nos olim secuti sumus De hebraicae typ. origine pag. 18, ad illud mensium discrimen non sat animo attendentes. Quod ex ipsius quoque epigraphis contextu patet luculentissime, in quo recenter erectae Soncinatum typographiae historia attingitur, atque a nostro hoc libro initium feliciter factum esse disertissime traditur. Notatu autem dignum est in principe hac editione integra exhiberi sive Gemarae, sive aliorum auctorum scripta. Sic singularis illa Rascii nota et animadversio, quae extat in cap. IV de bircàd amminìm, seu *imprecatione haereticorum*, eam in Japhne multo post tempore fuisse constitutam, קרוב לתרבותו של ישו הנוצרי שלימדו להפוך דברי אלהים חיים *aetate proxima educationi*, vel *progeniei* seu *discipulis Jesu Nazareni, qui docuerunt pervertere verba Dei viventis*, intacta hic extat, solo suppresso nomine Jesu, relictoque spatiolo, ut suppleretur, quod nec necessarium est, cum sequens Nazareni vocabulum aperte illud postulet et subintelligat. In editione Sabionetensi substitutum est של אותו האיש *viri illius*, quo Jesum nostrum a Judaeis designari notissimum est, legitque in singul. שלמד *qui docuit*, verbo ad Jesum ipsum relato. Ac illam quidem precandi for-

mulam pro Christianis fuisse compositam et in synagogas invectam manifeste confirmat codex noster 159, ad quem conferantur dicta.

Nostram hanc editionem memorat Bartoloccius Bibl. rabb. tom. III pag. 762, eamque reperiri testatur in bibliotheca Vaticana inter codices hebraicos impressos Soncini excusam anno הגמרא CCXLIX, Christi MCCCCLXXXIX. Quam mendosam annorum enumerationem et aeram, a Chevillerio etiam ac Maittairio adoptatam, referens Wolfius tom. II pag. 910, ex eo enatam conscribit, quod Bartoloccius in simbolica ea voce supputanda litterae he rationem habuerit, quam cum Scabtaeo rectius ipse putat ex recepto more omittendam. Falluntur tamen utrique, dum in ea legenda litterula conveniunt, quae in epigraphe deest, ac perperam disputat Wolfius, sit ne ea supputanda, nec ne, quam consulto Oppenheimeri exemplari dignoscere certo poterat ex una Bartoloccii indiligentia esse repetendam. Scabtaeus omisit, quia aberat, non omissurus certe, si legeretur. In eo etiam hallucinatur Bartoloccius, quod cum nostro tractatum alium Betzà conjungat, qui, ut suo loco ostendemus, nec ad hanc editionem pertinet, nec ad hunc annum. Vaticanum exemplar, quo is utebatur, chartaceum est, ac manu suppletum, sed membranaceum, quod memorat Scabtaeus in Scifiè jescenìm pag. 89, ut et Oppenheimerianum, nunc Seligmannianum, cui editus Catalogus folio 54 verso perperam annum 243 assignat. Quod vero describit Azulai Scem aghedolim parte II fol. 19, ut Regii a se visum, in membrana pariter excusum, ipsissimum est meum exemplar quod in manus meas devenit. Plantavitium, qui ait se nescire, ubi sit Soncinum, aliamque urbem obtrudit, corrigit Bartoloccius tom. I p. 431, jure admirans virum in rabbinicis versatum non animadvertisse in tot editionibus librorum hebraicorum sat constare de eo oppido, quod, ut Maittairii verbis utar, sui nominis obscuritatem artis ibi excultae celebritate dispulit. Sed magis adhuc ut ego quidem opinor, mirandum est, Wolfium, postquam Bartoloccium legerat et exscripserat, accurate et plene de ea urbe commentantem, scribere tom. I p. 1030 Soncinum non esse Lombardiae oppidum sub ditione ducum Mediolanensium, ut sibi persuasit Plantavitius, sed urbem in Italia speciatimque Lombardiae provincia, inter Cremonam ac Brixiam sitam, ac si haec ab illo distingueretur. Multum tamen abest, ut vidimus, ut ex hoc oppido primum prodierint in Italia impressores librorum hebraicorum, quemadmodum pag. 432 subdit Bartoloccius, ac repetit Arisius in Cremona litter. tom. I pag. 342. Conferantur quae in hanc rem diximus in Dissert. praeliminari et sub Pentateucho Bononiensi. De Soncinatibus autem ipsis typographis celeberrimis, qui in varias Italiae urbes ac CPolim tandem artem hanc transtulerunt, omnium plenissime ac fuse agit idem Bartoloccius commemorato loco p. 433, quem exscribunt Chevillerius De orig. typ. p. 264, ac Wolfius tom. I p. 1029 ac II pag. 941. Vide et de iis Dissert. nostram prael. §. XVII et typographorum Indicem ad calcem subjectum.

IX

R. Jedajae Appeninì, vel R. Salomonis Gavirol Mivchàr appeninìm, seu Delectus margaritarum cum anonymi Comment. 4. min. Soncini an. CCXLIV, Christi MCCCCLXXXIV.

Magnae celebritatis est opusculum hoc quod selectissima veterum philosophorum ac sapientum apophtegmata, sententias, praecepta complectitur, ex arabico hebraice translata ac pleraque a Drusio, a Plantavitio, ab Erberto latinitate donata, auctore vel collectore R. Jedaja Appeninì, vel ut aliis placet, et videtur etiam verosimilius, R. Salomone ben Gavirol. Vide in hanc rem Bartoloccium ac Wolfium, et quae nos notamus ad codicem nostrum 131. At majoris adhuc celebritatis est isthaec editio, quam haud ita pridem tamquam hebraicarum omnium primam, primumque hebraicae typographiae tentamen eruditi omnes suspexerunt, Bartoloccii, Chevillerii, Maittairii aliorumque vestigia secuti, ut observavimus in Dissert. praelimin. §. VII. In qua quidem re quantum hallucinati sint clarissimi viri, ex hucusque descriptis libris satis constat certa anni designatione antiquioribus, ut nihil de tot aliis dicam sine anno et loco, sed prima typographiae aetate et ante nostrum certissime editis. Nec tamquam primus celeberrimorum Soncinatum foetus, ut hucusque habebatur, haberi jam potest, quum gloriam hanc, ut mox ostendimus, nunc sibi vindicet tractatus Beracòth, qui eum integro mense praecessit. Editio incipit a perbrevi monito, vel praefatiuncula 7 linearum anonymi auctoris Commentarii, quae hic titulum praecedit, in aliis editionibus postponitur. Eam excipit titulus quadrato charactere majori expressus, et operis textus, qui quadratis et ipse typis, sed minoribus constat, cui rabbinicis subjicitur Commentarius. Praecedit folium album, quod a typographo computari et ad editionem necessario pertinere docet signatura א ב, quae in primo folio impresso conspicitur. Eo numerato folia sunt 60, in quibus adsunt quidem signaturae quibuslibet quaternionibus, uti et multi custodes, sed nulli numeri. Textus congruit cum editione Veneta an. 1546, sed in nostra additur ad calcem index sectionum, qui in illa deest, ac praeterea fusa correctoris epigraphe, praepositis octo versibus, quorum quatuor, qui ad dexteram dispositi sunt, innuunt in primis litteris ejus nomen.

שערי אל לישראל נתנים
אשר הורו וגם חברו יונים
לבן שחר שמי מבחר פנינים
אמריהם לרואיהם נכונים
מאד גדלו וישכילו נבונים
בכל סודות לשון הידות זקנים
הדר פני ראו בני צפונים
אלמדכם ואתמידכם דשנים

„ Divinae sectiones Israeli dantur
„ Quas docuerunt et composuerunt Graeci
„ Pro filio aurorae. Nomen meum est Delectus margaritarum,
„ Eloquia eorum iis qui ea vident, sunt recta,
„ Valde crescunt vel fiunt magni, intelliguntque docti
„ In omnibus secretis sermonis aenigmatici veterum.

„ Decorem vultus mei videre, filii mei.
Abscondita
„ Docebo vos, vosque faciam jugiter pingues.

דשנים ורעננים תהיו מקהלים עם קדש הלולים ישליו אהלים לאבות ובנים . זה ספר תלדות מדות החמודות מעט הכמות ורב האיכות מקיף בשלמות המין האנושי אם בחלק המעשי במדיניות או העיוני בשכליות כלו קב ונקי כסלת מבלי פסלת יורה על שכל הפועל אותו בלשון ישמעאל וחכמי תורתנו העתיקוהו והזקוהו בדברי ר"זל פרשוהו דרשוהו ויחפשוהו ממטמונים . וישמע יהושע שר וקצין בן כמ"ר ישראל נתן איש שו"נצין את קול ערבות מאמריו ונעימותו טוב תכונתו ושלמותו על כל חבורים נאים וכל העם ראים רעבים גם צמאים לשתות בצמא את דבריו ומוסריו ויצו את נעריו לאמר באו שעריו בתודה לה' נסי וכתבוהו בדפוסי למען רבות ממנו ההשפעה ומלאה הארץ דעה ואותי צוה לדקדק טופסיו והעתקותיו חסרותיו בתהלה וכל דפי אשר בהעתקה ישרה מקלקל הוא אצל חבורה להגיה ולהשיבה תמה וסדורה באופן לא יכשלו המעתיקים ולא יפילו דבר מאשר גבלו ראשונים . והנני הח"מ אף כי מטה ידי וקצרה השגתי עשיתי כאשר צויתי ואבינה בספרים המועתקים ושבעתים מזקקים השבתים צרפתים ובחנתים ונאצל מהם ספר הישר זה מדויק מפואר ומתאר ביופי וכל שלמות מעלה לשם ולתהלה חקוק בעט ברזל ועפרת ונחשת לא יבריחנו בן קשת אם ילוה אליו ויהדיו יובאו יתראו פנים . לכן יראוהו אנשים אנשי מעשים המתקדשים והמטהרים ואליכם השרים קולי ארים שמעו נא המורים צדק משפט ומישרים לכו נא הגברים פתחו שערים וקחו מוסרו כי טוב סחרו מסחר כסף ומבחר פנינים . ומאלהי צורי אורי וישעי רועי מעודי מגן בעדי נורא ואיום אשאלה כהיום ה"זה בשב"ט פיו שנ'ת ר"דם יקיץ יעיר אזן לשמע בלמודים נגידים ולו אעתיר יתיר אסירי בור גלותנו וישיב שבותנו יטיב מראשית אחרית שארית פלטתנו יזכר ברית ראשונים וחסדי דוד הנאמנים כנפשכם ונפש עבדכם נער בער יושב משמים מאין אונים . צעיר בחכמה ולימים ושנים . הורק מכלים אל כלים שונים . וישטמהו ורבו הויות הזמן ותהפוכותיו אשר מצדים לחצים . אצים . בעלי חצים . שנונים . שלמה בן מהר"ר פרץ בונפו' צרפתי יצ"ו .

„ Pingues et florentes eritis, congregantes populum sanctum cum laudibus, tranquilla erunt tentoria patrum ac filiorum. Hic est liber generationum vel genealogicus pretiosarum virtutum, mole pusillus, sed qualitate eximius, enucleans perfectionem humanae speciei sive ex parte practica ac civili, sive ex speculativa et intellectuali, totus ipse est cabus purus, seu probatissimus, in spe erudiens, quin aliquid habeat prophani vel inepti, ex mente ejus, qui illum composuit arabice, sed quem sapientes legis nostrae verterunt, amplexi sunt, verbis sapientum nostrorum fel. m. commentati sunt, exposuerunt, perscrutati sunt, plusquam thesauros. Jam vero audiit Josuas princeps et nobilis, filius R. Israelis Nathan, vir Soncinas, vocem dulcedinis sermonum ejus, et amoenitatem et praestantiam constitutionis ejus, ac perfectionem prae egregiis omnibus compositionibus, universumque populum, qui illum videt, esurientem ac sitientem bibere cum siti verba et disciplinas ejus, praecepitque pueris suis dicens: introite portas ejus (libri videlicet qui totus in portas vel sectiones distribuitur), confitentes Domino, qui est vexillum meum, et describite illum in typographia mea, ut per eam augeatur affluentia et terra impleatur cognitio-

ne. Mihi autem praecepit, ut apographa et exemplaria ejus quoad imperfectiones ejus studiose examinarem, et omne folium, quod in exemplari accurato corruptum esset ex parte compositionis, corrigerem, perfectumque redderem ac bene ordinatum, ne descriptores impingerent, nihilque omitterent ex eo quod primi posuerant. Et ecce ego infra scriptus, etsi inclinata sit manus mea, vel infirma mea facultas, et tenuis assequutio mea, feci tamen, ut praeceptum est mihi, et consideravi exemplaria descripta, et septies probata ea restitui, exploravi, probavi, emanavitque ex iis liber hic rectus, accuratus, excellens, eleganter formatus, omnimodaque perfectione, quae eum evehit ad celebritatem ac laudem, impressus quidem stylo ferreo, plumbo et aere, sed quem sane non fugabit, qui scriptus est atramento, si illi comparetur, ac simul producantur et inspiciantur. Videant ergo illum viri, viri qui operibus sanctificant se et purificant, et ad vos, o principes, vocem meam extollo, audite quaeso qui docetis justitiam, judicium et rectitudines. Venite jam, o fortes, aperite portas, et suscipite institutionem ejus, quia melior est merx ejus merce argenti et delectu margaritarum. A Deo autem qui est rupes mea, lumen meum, salus mea, qui pascit me a tempore quo sum, qui est clypeus circum me, tremendus ac formidabilis, petam die hac (XVII), ut virga (mensis scebat) oris sui anno quo dormitat (CCXLIV), expergiscatur, exciteque aurem, ut audiat eruditos antistites, eumque exorabo, ut respiciat vel vigilet super vinctis in carcere exilii nostri, et reducat captivitatem nostram, benefaciat a principio usque ad finem superstitibus reliquiis nostris, memor sit foederis primorum vel antiquorum, et benignitatum fidelium David, juxta desiderium servi vestri, pueri ardentis qui desolata loca inhabitat, destituti viribus, pusilli sapientia, diebus et annis, evacuati e vasis in vasa varia, seu exinaniti, quem odio persecuti sunt, cujusque calamitates temporis ac vicissitudines creverunt, derivatae ab inimicis oppressoribus, velocibus, instructis sagittis acutis, Salomonis filii doctoris R. Peretz Bonfoi Galli, quem Deus tueatur ac custodiat „.

Itaque libellus non per filios R. Josuae ben Israel Nathan, ut scribit Wolfius, sed per Josuam ipsum editus est, opera tamen puerorum suorum, videlicet opificum qui illius typographiae inserviebant. Ad calcem vocatur liber Mivchàr mippeninìm, et esse etiam codices qui inscribantur Muvchàr mippeninìm, vidimus ad cod. nostrum 571, qui singularem hunc exhibet titulum. Sed alii nostri septem communem sequuntur. Qui hic sistitur anonymus Commentarius, eum inscribi שערי מדות *Saharè midòth* eruitur ex eodem codice nostro 571, ut ad eum observavimus. Praeter commemoratos superius auctores alii non pauci editionem hanc referunt, inter quos Loescherus, Grodeckius, Orlandus, Arisius, quamquam plerique sub mendoso titulo *Minchar*, ac praeter hanc nostram extat etiam in nonnullis aliis bibliothecis. Nempe in Parisiensi publica, teste Catalogo tom. I num. 909 pag. 69, cujus tamen au-

ctores impressionis locum non intellexerunt, scribentes *alicubi in Italia*, in Romana Propagandae fidei, et in Seligmanniana Hamburgensi, cujus Catalogus annum illi assignat 245, mendo, ut puto, typographico, nisi exemplar, ut aliquando fit, habeat Bechinàd olàm ejusdem Soncinensis editionis, sed anni sequentis, simul compactum. Ejusmodi sane fuisse arbitror illud quod Gradiscae se vidisse testatur Brunsius in Annal. Helmst. 1782 p. 203. Nota tandem editionem hanc eandem prorsus esse cum antiqua illa in 4., in qua Josuam Soncinatem commemorari monet R. Ghedalias in Scalcèled akkabbalà fol. 62.

X

Ejusdem R. Jedajà Appeninì Bechinàd olàm seu Examen mundi cum anonymi Commentario 4. min. Soncini an. CCXLV, Christi MCCCCLXXXIV.

Qui scit quam perpolito atque eleganti orationis genere seculi vanitatem nobis exhibeat hoc opusculum, viamque commonstret sectandi vitam beatiorem, qui scit quam dignum Philippo Aquinati, Uchtmanno aliisque praestantissimis viris visum est, quod collatis studiis in latinum sermonem aliasque linguas converterent, non mirabitur is quod inter prima artis suae specimina primosque conatus praeclarissimum ei locum dederint Soncinates typographi. Editio, quam vix memorant Bartoloccius, Scabtaeus, Orlandus, Maittairius ac Wolfius, est in 4. minori, non in 8. ut notat Wolfius, foliis constat viginti signaturis per quaterniones insignitis, eodemque charactere tum quoad textum, tum quoad Commentarium cum praecedenti Mivchàr. Textui hic praemittitur titulus: Epistola quam composuit sapiens magnus ac poeta Badrescita Anbonèt Abram, dicta Bechinàd olàm, seu Probatio mundi „ qui etiam in Veneta aliisque editionibus comparet, assumpto in eo auctoris cognomine, qui Anbonèt Abràm vocari solebat. Ad calcem haec leguntur: ובכאן השלים דבריו המסולאי׳ מפז עליון המשוררי׳ הזה תפוחי זהב במשכיות כסף אין ערוך להם. בריך רחמנא דסייען פה שונצינו כד כסליו רמה. „ Hicque absolvit verba sua auro selectissimo pretiosiora summus hic poeta, poma aurea in picturis vel sculpturis argenteis, quibus nullum est pretium. Benedictus misericors qui adjuvit nos hic Soncini die XXIV mensis chislev an. 245 „. Dies XXIV chislev incidit in decembrem anni nostri 1484 adhuc decurrentis. Ad hunc ergo annum est referenda editio, non ad an. 1485, ut hucusque ab omnibus qui de ea egerunt, factum est, qui non sat animadverterunt primos menses novi anni judaici cadere in postremos praecedentis christiani. Qui et in eo errant, Bartoloccius praesertim, quod primariam eam credant, ignorantes alteram uxoris Conati, quae est ea antiquior, ut suo loco videbimus et sub ipsa hebraicae typographiae primordia aut saltem certissime ante annum minoris supputationis 240, seu christianum nostrum 1480 Mantuae vulgata, inter quam et nostram, ut inter nostram ac Venetam nonnullae lectionis discrepantiae intercedunt. Extat non in nostra modo, sed et in bibliotheca Propagandae et Seligmanniana.

MCCCCLXXXV

XI

R. Jacob ben Ascèr liber Orach chaiìm seu Via vitae, fol. an. CCXLV, Christi MCCCCLXXXV.

Est primus ordo Arbà turìm diu notissimus. At editio haec, olim a nobis detecta et acquisita, tantae raritatis est, tamque incognita, ut nulla antea sive a Judaeo, sive Christiano bibliographo facta sit mentio. Praemittitur auctoris praefationi in superiori margine titulus ספר אורח חיים quadratis litteris majoribus formae hispanicae et elegantissimae, quibus excusi etiam sunt tituli et numeri singularum constitutionum. Operis contextus charactere exaratus est rabbinico hispano, sive hispanorum et orientalium Judaeorum more inflexus. Praefatio et index priora undecim folia occupant, ac folio 106, quo expliciunt Ilcòth rosc chòdesc, seu *Constitutiones novilunii*, alba relinquitur pagina versa aliudque integrum folium, quo numerato continet editio folia 168, sub quorum finem prolixum subditur triginta versuum carmen, quod hic subjicimus.

ידידי אל אשר אליו רצויים
קחו לכם ממלא מאויים
צאו לקראת גדול יקרת וכבוד
בהקבלת ספריו הנקיים
ראו ספר ועץ חיים ופריו
לאוכליו הוא לנפשם אור וחיים
שמו מורה לרוב טובו ויושרו
אכן נקרא שמו אורח וחיים
אשר נכתב ובדפוס טב והדור
ויופיו גם שלמותו גלויים
והוא נעתק בדיוק רב ביותר
ובספרים אשר לזה ראויים
שלמותם וטובתם ויושרם
לאין איפשר הורות כלם מכויים
גשו אחי בני אל חי ועליון
לתורתו בבתיכם בנויים
ואף אם תתנו כסף דעו כי
ישלמוכם מקום צפיר גדיים
ואמצו נא ידי עושי מלאכה
אשר עושה גאולים משבויים
ונכתב על ידי חכם חרשים
כמוהו אין בכל ארץ ואיים
אשר פעלו יהי נכר בחותם
אשר קיו לפניו נטויים
ונשלם בשנת רמ״ה באלול
וחמשה אלף עליו יחויים
והאל המסייעם לכיתבו
ישימנו עטרת חן לגויים
וברצונו יחיינו ונהיה
ידידי אל אשר אליו רצויים

„ Dilecti Dei qui estis ei accepti,
„ Sumite vobis partem de plenitudine desideriorum.
„ Egredimini in occursum magni excellentia et gloria,
„ Recipientes libros ejus puros.
„ Videte librum et arborem vitae, cujus fructus
„ Comedentibus eum est animae eorum lumen et vita.
„ Titulus ejus indicat amplitudinem praestantiae ac rectitudinis ejus,
„ Ideo appellatum est nomen ejus Orach chaiìm, Via vitae.
„ Qui scriptus est vel impressus impressione eleganti et magnifica,
„ Cujus pulchritudo et perfectio per se patent.
„ Descriptus porro is est diligentia summa
„ Ex exemplaribus quae erant huic rei aptissima,
„ Quorum perfectio, praestantia, rectitudo

„ Est incredibilis, quum sint omnia studiose parata vel conscripta.
„ Accedite, fratres mei, filii Dei vivi et altissimi,
„ Ad legem ejus cum domibus vestris aedificatis, seu familiis vestris,
„ Et si datis pecuniam, scitote etiam, quod
„ Retribuet vobis Deus hircum pro haedis;
„ Roborate quaeso manus opificum artis
„ Quae redemptos efficit ex captivis, seu redimit captivos.
„ Scriptus est autem, vel impressus per manus sapientis inter artifices,
„ Cui similis non est in universa terra et in insulis,
„ Cujus opus notum erit ex sigillo,
„ Cujus lineae ante nos sunt extensae,
„ Absolutusque anno CCXLV mense ellùl,
„ Quinque millibus ei superadditis.
„ Deus vero qui adjuvat eos ad exscribendum vel imprimendum illum,
„ Ponat nos coronam gratiae gentibus, vel Christianis,
„ Nosque in beneplacito suo vivificet, ut simus
„ Dilecti Dei qui sunt ei accepti.

Ex titulo et epigraphe quae editioni finem imponit, et ex duobus exemplis, quae nactus sum, solumque hunc primum ordinem servabant, putabam olim eum solum lucem vidisse. Sed paucis abhinc annis secundum reperi eadem charta, charactere, forma biennio post in Iscar vel Iscor, vel Scàr, Sorae excusum, qui locum jam pandit nostrae editionis, antea incertum, quamvis non sat certum sit, quae urbs vel vicus sub eo nomine intelligatur. Conferantur quae fuse de eo infra annotabimus ad Pentateuchum anni 1490 ibidem editum. Subjicitur epigraphi sigillum, vel stemma, quo typographum ejusque opera dignosci monet ipsa epigraphe. Ipsum porro repraesentat imaginem erecti leonis, nec in sola nostra editione, sed et ad calcem Jorè dehà anni 1487, Pentateuchi 1490, et Pentateuchi alterius in 4. sine anno et loco conspicitur, quod indicio est omnes ab uno eodemque typographo et in una eademque urbe prodiisse. Quae urbs quum ad Lusitaniam certe, ut videbimus, spectare videatur, librum nostrum pro primo hebraice illic impresso habendum esse olim constituimus, nec immerito, donec non detegatur ac producatur antiquior. In textu magna in utroque ordine lectionis varietas.

XII

Prophetae priores, scilicet Josue, Judices, libri Samuelis ac Regum cum Commentario Kimchì fol. Soncini anno ab orbe condito V. CCXLVI, Christi MCCCCLXXXV.

Sacri Bibliorum codicis nihil hucusque praeter Psalterium ac Pentateuchum excusum fuerat. Priores ergo Prophetas qui primi post Mosis libros veniunt, cum Kimchii Commentario luculenter hoc anno imprimere aggressi sunt Soncinates. Bartoloccium latuit princeps ac praeclara haec editio, at non latuit Scabtaeum, qui omnium primus eam memorat in Seiftè jescenìm pag. 86, le Longium, Chevillerium, Maittairium, Orlandium, Wolfium atque e recentioribus Kennicot-

tum ac Fabricy, qui breviter quidem, sed sat accurate de ea loquuntur, nisi quod in Kennicotti statu collationis anni 1767, atque in gallicis eruditorum Ephemeridibus statuatur annus editionis 1484 pro 1486, quem et mendose a reliquis omnibus constitui infra videbimus, in le Longii vero Bibliotheca pro prima hebraicorum Bibliorum editione venditetur. Ac post Disquisitionem nostram de hebraicae typographiae origine de hac editione egerunt etiam Maschius, Eichornius, Kennicottus in Diss. gen. sub n. 257 quem ei assignavit, ac fusius reliquis Tychsenius in Repertorio orient. tom. VII p. 165. Incipit versa folii pagina a Kimchii praefatione. Eam primum Josue caput consequitur, cujus prima dictio ויהי majusculis exarata litteris tituli veluti loco elaboratissima lignea tabula, vel ornatu comprehenditur, quo rursus inchoantur libri Judicum ac Samuelis. Iisdem majusculis ligneisque litteris repraesentatur vox והמלך, qua incipit I Regum, nullo tamen alio circumposito ornatu, propterea quod duae postremae litterae lineam praetergrederentur. Character sacri textus quadratus est absque punctis, rabbinicus alter Commentarii qui textui adhaeret, uterque autem idem cum eo qui adhibitus est in praecedentibus editionibus Mivchàr appeninìm et Bechinàd olàm. Totum opus folia 166 complectitur, fol. 21 explicit Josue, et 22 incipiunt Judices, qui expliciunt fol. 42. Fol. 43 incipit Samuel, et 107 Reges, binis tum Samuelis, tum Regum libris in unum, ut in ms. fit, contractis. Expliciunt autem omnes pagina recta folii, incipiuntque versa folii sequentis, albis relictis binis paginis intermediis. In superiori margine extant tituli librorum, in inferiore signaturae quolibet quaternione. Linearum vacua sub finem implentur litteris sequentium vocum, multaque vocabula sive in textu, sive in Commentario abbreviantur.

Postremum folium hanc sistit fusam typographi admonitionem. אמר המחוקק כתב יושר ודברי חפץ אשר בשינצינו . בהיות ארבע נביאים ראשונים אלה . יהושע . שופטים . שמואל . מלכים . דבקים ונמשכים אחר תורת משה רבינו ע״ה וכמשנה תורה לה למוה שבם בספור אמתי המישך ענין אומתנו מאז ע״י נביאי ה׳ יתבר׳ עם שגם בם לימוד ביאור חלק גדול ממצות התורה הנקראת תורה שבעל פה כי הם הם שקבלוה ממשה רבינו ע״ה ובית דינו ועל ידם נמסרה מנביא לנביא עד עזרא ועד אנשי כנסת הגדולה ולזה אחר לימוד תורת משה רבינו ע״ה הם אלה הנביאים הכרחיים ובפרט לנערים ומהתורה שללמוד הם וזולתם אנו צריכים . ולזה נראה לנו לחקקם עם המפרש המופלג הזה רבינו דוד קמחי ז״ל ראש המדקדים אב המפרשים . ואולם בהיות לא יכון עדות המעיד כי אם על הנעלם בהיות ענין הספר הזה מוחש גם מובן ומושכל בנקלה לא נעיד בדברינו אלה על היותו מדויק . עם שלא נעצור בדברינו אלה מלהשמיע באמרת ובתמים לאשר באולי לא יהיה להם פנאי לעיין בו השיעור המספיק להבנת זה שאולם הוגה ודויק על ידי יודעי ספר ומביני מדע ולא נשער שימצא בו שגיאה או טעות ובפרט הן בכוונה הן במלות אכן מה שאפשר שימצא בו מהשגיאה הוא התחלפות אורת באורת כגון ה״א בח״ת ב״ת בכף וכיוצא בזה אשר לפעמים להיות כוונת המדייק ודעתו טרידה בדיוק הכוונה והמלות העבירה עינו מלהשגיח בפרטי האותיות האלה הנזכרות הדומות בצורה וכיוצא בהם .

וכן לפעמים דלוג אות אחת במלה ואף גם אלה לא ימצאו בו רק על המעט להיות כעשה ענין הספר הזה בהשגחה יתירה למען ישלם ענינו בשלם שבפנים כפי האפשר במלאכה הזאת ואשר כוננו בשמורת הקודש בשם יוד הא ויו הא ששמנו תחת הא ראשונה דלת וקוף תחת הא לשם אלקות כוונתנו היתה לכבוד ולתפארת לשם ה׳ בעבור היות לפעמים קצת מהם נדחים ואובדים אין בם צורך כללי וממה שאין ספק אצלינו הוא שלא ימצא בכיוצא בהם מאשר נכתבו בקולמוס טובי הדיוק כאלה . כי אולם עם היות היו אצלינו העתקות רבות מדויקות וטובות ואשר נלמד בם ימים ושנים וע״י מבינים עם כל זה לא נמלטו גם הם מהטעיות והשגיאות . כי אולם מציאות ספר בלי שגיאה או טעות הוא כפלא . ואולם היתה השלמתו בשנת חמשת אלפים ומאתים וששה וארבעים לבריאת עולם ביום ששה לחדש מרחשון פה שונציינו במדינת לומברד״יאה אשר היא תחת ממשלת האדון האביר דוכוס מילאנו יחיהו ה׳ ית׳ ויאמצהו : ברוך נותן ליעף כח ולאין אונים עצמה ירבה : יתרומם שמו על כל ברכה ותהלה :

Dicit qui imprimit scripturam rectitudinis vel accuratam, et verba desiderii seu elegantiae, habitans Soncini. Quum quatuor hi priores prophetae, Josue, Judices, Samuel, Reges, adhaereant et sequantur legem Mosis doctoris nostri, super quem sit pax, et sint sicut ejus repetitio, quia est in iis fideli narratione continuatio rerum vel historiae nationis nostrae ejus temporis, facta per manus prophetarum Domini benedicti, et studium etiam expositionis partis magnae praeceptorum ejus legis, quae dicitur lex ore tradita, quoniam ipsi sunt qui acceperunt illam a Mose doctore nostro, super quem sit pax, et a domo judicii ejus, seu judiciali ejus consessu, et per eorum manus tradita est a propheta ad prophetam usque ad Esdram et viros synagogae magnae, ideoque post studium legis Mosis doctoris nostri, super quem sit pax, hi prophetae sint necessarii, et ex lege eos ut et alios extra illos, addiscere teneamur, propterea visum est nobis eos imprimere cum interprete hoc excellenti R. David Kimchì fel. mem., principe grammaticorum et patre interpretum. Equidem quum verum non habeatur testimonium testantis nisi de re occulta, resque hujus libri sub sensibus cadat, ac facile capiatur et intelligatur, nos non testabimur verbis nostris eum esse correctum. Quamquam coercere nos oratione nostra non possumus, quin vere ac sincere patefaciamus iis quibus forte otium non suppetit ut eum perpendant, conjecturam quae sufficit ad illud percipiendum, quia certe accurate excussus est et emendatus opera litteratórum virorum, et intelligentium scientiam, nec putamus in eo mendum ullum reperiri, vel errorem, potissimum in sensu et verbis. Sane quod fieri potest ut in eo reperiatur erratum, est confusio unius litterae cum alia, ex. g. he cum cheth, beth cum caph et similium, cum aliquando accidat ut dum intentio correctoris et mens ejus est occupata in expendendo sensu et verbis, percurrat oculus, nec peculiaria discrimina vel signa earum litterarum, quae sunt forma affines, aliarumque ejus generis, attente consideret. Ita interdum una littera in dictione transilit, quamquam et haec in eo non occurrunt nisi exiguo numero, quum libri hujus editio cura ma-

xima facta sit, ut perficeretur ea perfectione vel integritate, quam habebat autographum, quantum quidem per artem hanc fieri poterat. Quod vero disposuimus de nominibus sanctis, et nomine jod he vau he, in quo pro primo he posuimus daleth, et koph pro he in nomine divinitatis, vel Dei, mens nostra fuit gloriam et honorem divini nominis respicere: si enim accidit aliquando, ut aliqua eorum pars dispergatur et amittatur, nulla est ejus supplendae necessitas. Quod porro certum credimus, illud est nullos quidem esse inter codices manu exaratos, qui correctionis praestantia cum hisce nostris comparari queant. Quia certe quamquam fuerint vel sint apud nos exemplaria multa accuratissima et optima, quae diu institutioni inservierunt, manuque conscripta doctorum virorum, nihilominus neque ipsa ab erroribus et mendis sunt immunia. Reperire namque librum sine errore aut mendo, sane miraculum est. Fuit vero finis ejus anno 5246 a mundi creatione die VI mensis marchesvàn hic Soncini in provincia Lombardiae, quae est sub ditione domini potentis ducis Mediolani, quem Dominus benedictus in vita servet ac fortificet. Benedictus qui dat defesso robur, et in quo vires non sunt, virtutem multiplicat. Extollatur nomen ejus super omni benedictione et laude „.

Cl. Fabricy, qui hanc epigraphem affert *Titres primitifs* tom. II p. 386, legit הוא יתחת ממשלת ac proinde de Soncino interpretans, vertit *quod est sub ditione Ducis Mediolanensis*. At vero in textu habetur manifestissime הא, quod est ad provinciam referendum. Dies porro VI mensis marchesvàn, qua absoluta est editio, incidit sub finem octobris anni nostri adhuc decurrentis 1485, non 1486, ut male hucusque constitutum est ab omnibus bibliographis qui de hac editione egerunt. Consueverunt enim ii Judaeorum aerae ut nostram eruant, integros annos 240 addere, non animadvertentes novum annum judaicum incipere a septembri, nostrum a januario, illum nostrum antevertere quatuor circiter mensibus, ideoque quatuor primos menses judaici, inter quos est marchesvàn, ad postremos christiani praecedentis esse amandandos. Jam vero quamvis quae de eximia nostrae editionis correctione praedicat typographus suam patiantur exceptionem, negari tamen nequit multis eam et egregiis variis lectionibus abundare, constatque id luculentissime ex nostra collatione. Extant etiam in earum numero singulares non paucae, talisque, ac tantus in iis consensus cum unico codice meo 579, ut non dubitem, quin is ad eam adhibitus sit, si non ut solus, nam in aliis dissentit, saltem ut praecipuus fons. Vide Jud. XXI 8, XXIII 3, I Sam. VI 6, X 20, XVI 18, II Sam. XVIII 28, I Reg. VI 19, X 6, XI 10, XI 12, XII 20, XIII 14, XIV 26. In selectis hisce locis unicus est ille meus codex inter mss. qui singulares editionis hujus lectiones exhibeat, quum Kennic. 253, qui in quibusdam profertur, sit editione ipsa recentior. Plura nos ejus exemplaria corrasimus, partim doctis amicis concessa, partim apud nos extantia, inter quae sunt quae sistunt primas Josuae paginas, seu 2 ac 3 a typogra-

pho oscitanter transpositas ac male impressas, quae videlicet a cap. I 1 transiliunt ad VI 4 ושבעה כהנים usque ad VII 6. Ex hisce exemplaribus primae impressionis bina possidemus, in quorum uno folium manu suppletum est. Sed bina haec folia, statim ac transpositio animadversa est, recusa sunt, eaque recte recusa exhibent exempla pleraque. Mirum autem est isthaec folia primo ac secundo impressa inter se nonnihil diferre. Nam non modo custodes linearum modo retenti sunt, modo ablati, voces integrae non paucae abbreviatae, sed et emendationes quaedam modo recte, modo male susceptae. In primis foliis mendose Jos. I 6 legebatur תנחיל, correctum תנחיל, et v. 11 כעוד, correctum בעוד; sed I 15 prima recte יניח, recusa male יניה, VI 11 recte illa אליכם, perperam haec אליבם.

MCCCCLXXXVI

XIII

R. Josephi Albo liber Ikkarim seu Fundamentorum fol. Soncini an. V. CCXLVI, Christi MCCCCLXXXVI.

Soncinensem hanc editionem notissimi operis, cujus scopus est judaicae religionis articulos illustrare ac vindicare, Bartoloccius, Scabtaeus, Chevillerius, Labbaeus, Maittairius, Wolfius, Marchandus memorant. Memorat et Orlandius *Dell'origine e progressi della stampa* parte II pag. 351, sed duo confundit. Primo quidem librum cum ejus Commentario, unde illum sub *Arboris plantatae* titulo nominat. Deinde vero confundit et annum Ariminensis editionis cum anno Soncinensis, unde illam anno 1486 asserit prodiisse, quae prodiit anno 1522. Memorat et Arisius in Cremona illustrata, sed sub mendoso titulo *Marim*. Eam breviter descripturi, illud in primis animadvertimus quamdam typographi praefationem praemitti, contra ac in praecedentibus editionibus factum sit, in quibus typographorum vel correctorum monita si quae sunt, sub finem leguntur. In qua quidem praefatione, quum liber hic quammaximae utilitatis sit ac fructus, nec valde vulgatus, propterea quod vix 70 anni ab auctoris morte praeterierint, operae se pretium facturum dicit typographus, si eum perfecte, accurate eleganterque imprimeret. Emolumentum autem ex eo potissimum repetit, quod Mosaicae legis ac judaicae religionis praestantiam ac veritatem explanet, doceatque quid contra sentientibus inimicis, cujuscumque tandem sectae ii sint, praecipue vero Epicuraeis, sit respondendum. Atque iteratae hae libri laudes atque ad ejus lectionem adhortationes factae dicuntur, היום יום ב׳ כב״ מרחשון רמ״ו לאלף הששי פה העיר שונצין *Hodie feria II, die XXII mensis marchesvàn anno CCXLVI sexti millenarii, hic in urbe Soncini*. Idest fere sub dimidium novembris anni nostri 1485. Aera quam auctoris morti statuit in hac praefatione typographus, diserte asserens להיותו פחות משבעים שנה שנעדר החכם הנזכר ז״ל שחבר הספר הזה *minus LXX annos esse, ex quo desiit sapiens laudatus fel. mem., qui librum hunc composuit.* non congruit cum binis, quas ex Judaeorum scriptis refert Wolfius tom. I pag. 503. Nota tamen quod ad Ghedaliae aeram spe-

ctat, male eam referri a Wolfio ad annum 1390. Ait enim Scalsceled fol. 61 verso auctorem nostrum *mortuum esse anno* 130 (Chr. 1370) *quamvis sint qui dicant anno* 150 (Chr. 1390) ומת שנת ק"ל וי"א שנת ק"נ. Nostra media est inter hanc, et alteram an. 1430, quam statuunt Zacutus ac Ganzius.

Post illud typographi monitum, quod primo folio separato ac verso continetur, liber ipse incipit, praemissa tituli veluti loco prima dictione למה majusculis ligneisque litteris, seu ligneo ornatu conclusis. Character rabbinicus est, idem plane cum eo, qui in Soncinensibus aliis editionibus hucusque recensitis conspicitur, exceptis titulis tractatuum et capitum, qui typis constant quadratis. Superiori margine iidem tractatuum tituli exhibentur, inferiori signaturae. Sub initium II maamàr seu tractatus amplum spatium album relictum est, proculdubio ut ligneae tabulae imprimendae esset locus, quam tamen in nullo exemplari vidi impressam. Foliis 107 constat integra editio, quorum postremo haec extat epigraphe: ובכאן נשלמה חקירת המאמ׳ הנכבד הזה המקודש אשר בו שמנו השגחה יתירה אל שיהיה שלם בכל פרטי מלאכתו עם שהוגה ודויק על ידי יודעי ספר ומביני מדע דיוק נפלא עד שירוחק בזולתו דיוק כיוצ׳ בו והיתה השלמתו פה שונצ"ינו אשר במדינת לומבר"דיאה תחת ממשלת האדו׳ האביר הדוכ"ס מי"לאנו יחיהו ה׳ ית׳ ויאמצהו בעשרים ואחד יום לחדש טבת שנת חמשת אלפים ומאתים וששה וארבעים לבריאת עולם: יתברך העוזר ויתרומם על כל ברכה ותהלה אמן ועד: „ Hicque explicit impressio tractatus hujus egregii ac sancti, in quo summam curam posuimus, ut in omnibus quae ejus opificium respiciunt, perfectus evaderet, praeterquam quod studiose excussus est et accurate correctus opera doctorum et eruditorum virorum mira diligentia, quae major esse non poterat, fuitque finis ejus hic Soncini, quod est in provincia Lombardiae sub dominio potentis domini ducis Mediolanensis, quem Dominus benedictus in vita custodiat et fortificet, die XXI mensis tebeth anno quinquies millesimo ducentesimo ac quadragesimo sexto ab orbe condito. Benedicatur qui auxilium praestat et extollatur super omni benedictione et laude, amen sela, et in aeternum „. Huic notae haec alia subjicitur: ואני התלמיד המשרת אשר עשה במלאכת הספר היקר הזה שהוא מהמאמרים אשר עליהם יאמר המסולאים מפז ומתוקים מדבש ונופת צופים. אחרי ראותי התעוררו׳ אלקי אשר בנפש מורי ורבותי אשר בזה המקו׳ להרביץ תורה בישרא׳ במה שחקקו בדברי תורתינו בשכבר כתב יושר ודברי חפץ ומצורף להם המאמר הזה הנכבד אמרתי על דרך מליצת השיר כי מציון תצא תורה ודבר ה׳ משו"נצינו: „ Ego vero discipulus famulus, qui operatus est in opificio, vel executus est opificium libri hujus pretiosi, qui est ex tractatibus qui dicuntur aestimatiores auro et dulciores melle et distillatione favorum, postquam vidi divinum incitamentum, quod est in animo doctorum ac praeceptorum meorum, qui in hoc loco sunt, ut promoverent legem in Israel in eo quod ediderunt de verbis legis nostrae, tum et in eo quod egregium hunc tractatum ut scriptum accuratissimum ac verba desiderii, seu elegantiae et ut purissimum probarunt, dixi vel exclamavi poetica phrasi vel oratione, quod ex Sion egredietur lex

et verbum Domini de Soncino „. Jam vero dies xxi mensis tebeth, quo absoluta est editio, incidit in initium januarii an. 1486. Corrigendus ergo Scabtaeus qui in Sciftè jescenìm pag. 59 annum 247 nostrae editionis constituit, Chr. 1487, Wolfius etiam tom. I pag. 503, et Rodriguez de Castro Bibl. hisp. tom. I p. 228, qui eundem annum et ipsi praefigunt. Nec erat cur de Wolfii errore dubitaret Biscionius Biblioth. heb. flor. p. 121 edit. in 8., nec dubitavit Wolfius ipse, qui Soncinensem editionem iterum recensens in III ac IV volumine, rectiorem aeram restituit. Haec porro editio integerrima est, seu non desunt in ea bina capita, xxv et xxvi dissertationis III, in quibus auctor aperte Christum ac christianam religionem oppugnat, quamquam ea tanto inquisitorum studio non in posterioribus solum plerisque editionibus, sed in singulis Soncinensis hujus exemplaribus resecata sunt, ut longe rarissimum sit exemplar, in quo reperiantur. Servat etiam intactum locum, quem ex Lublinensi editione restituit Wulferus in notis ad Theriacam judaicam p. 126, aliaque non pauca nobis opposita. Quae contra nos habet cap. xxv supra commemorato, jam observavit Bartoloccius ea a Genebrardo fuisse versa ac confutata, libello in hanc rem Parisiis edito anno 1566, integram vero totius libri versionem a Schollio praelo paratam servari tradunt Miscellanea Duisburgensia tom. II p. 337, quae tamen inedita remansit. Praeter bina quae possidemus, exempla, extat etiam haec editio in Vaticana, Medicea, Bononiensi Instituti, et Seligmanniana.

XIV

Machazor seu judaicarum precum Breviarium totius anni italici ritus, fol. Soncini et Casali majore an. V. CCXLVI ab orbe condito, Chr. MCCCCLXXXVI.

Illustre aliud se nobis objicit singularis Soncinatum diligentiae specimen, nitidissima videlicet haec absolutissimi judaicarum precum corporis editio, de qua profundissime silent omnes auctores. Praeter preces feriales et festorum totius anni exhibet sectiones omnes sive Pentateuchi, sive Prophetarum inter eas occurrentes, harum nonnullas etiam cum Chaldaica paraphrasi, Psalmos plerosque, Canticum Canticorum, Ruth, Threnos, Ecclesiastem, Jotzeròth, Selicòth, Techinòth, seu sacros hymnos quamplures, qui cum sacris precibus canuntur, fusum R. Jehudae Levitae carmen sabbathi ante Purìm, Azaaròth seu Paraeneses R. Salomonis Gavirol et R. Eliae, Pirchè avòth seu Capitula patrum cum Commentario Maimonidis et octo ejus Perachim ex versione et cum praefatione R. Samuelis abbèn Tibbon, ac tandem Dinìm, seu constitutiones precum et rituum suis locis insertas. Incipit statim a praefatione centum benedictionibus totique operi praemissa, cujus primum vocabulum יתברך majoribus litteris quadratis tituli veluti loco in medio praeponitur. In binas partes vel volumina dividitur, quorum primum foliis constat impressis 165, secundum 154, universum opus 319. In praestantissimo ac pretiosissimo exemplari membranaceo, quod nostram jam collectionem exornat, margo amplissimus. Extant signaturae quolibet qua-

ternione, sed prima omittitur, numeratisque foliis, quae signaturam ב seu secundam praecedunt, septem tantum in meo exemplari reperiuntur. Quamobrem praefationem illam debet certo praecedere folium album, primumque volumen, eo computato, constare foliis 166, integra vero editio 320. Dictiones quae sectiones quaslibet et capita inchoant, majoribus quadratis typis hispanicis expressae sunt, majusculis ac ligneis eleganter ornatis majores sectiones seu earum tituli, quadrato minori charactere cum punctis preces omnes, poemata, Bibliorum sectiones ac libri, ac Capitula patrum, rabbinico vero praefationes, tituli, rubricae, Maimonidis Commentarius et Constitutiones rituales.

Ad calcem prolixa extat typographi epigraphe, qua elevat se ad celebrationem Domini omnium rerum, qui dedit ei virtutem perficiendi opus istud sanctissimum secundum ritum synagogae sanctae Romanae, commendatque summopere ejus dispositionem, correctionem, additamenta ac pretiosa multa quae continet, deinde subdit: ואולם היתה התחלת בנין הספר הזה על ידינו בני שונצ"ין בעיר שונצין בחדש תשרי שנת רמ"ו לאלף הששי והשלמנוהו פה קזאל מיורי בשני בשבת בעשרים יום לחדש אלול שנת חמשת אלפים ומאתים וששה וארבעים לבריאת עולם דהיינו שנה תמימה בקרוב פעלנו ועשינו בחזקת היד בבנינו יתברך ויתרומם יוצר בראשית אשר עזרנו להתחיל ולהשלים על כל ברכה ותהלה אמן סלה „ Fuit autem profecto initium aedificii hujus libri per nos Soncinates in urbe Soncini mense tisrì anno 246 sexti millenarii, absolvimus vero illum hic Casali majori feria II hebdomadae die XX mensis ellul anno quinquies millesimo ducentesimo quadragesimo sexto a creatione mundi, qui est integer annus in progrediendo opere nostro, cujus aedificium vehementissime promovimus. Benedicatur et extollatur creator creationis, seu rerum ab initio creatarum, qui adjuvit nos ut inciperemus et perficeremus, super omnem benedictionem et laudem. Amen sela „. Mensis tisrì, quo coepta est editio, respondet septembri nostro anni 1485, dies vero XX ellul, quo absoluta, cadit in finem augusti, vel initium septembris an. 1486, integro, ut notant Soncinates, anno evoluto. Eam porro primariam esse hujus operis vix dubitandum. Nulla enim hucusque detecta est antiquior, ac Soncinatum alia sine anno et loco, quae sola cum hac nostra de primatu potest contendere, ea multis nec contemnendis, ut ad eam videbimus, argumentis nobis videtur aetate posterior. Sua est et in re critica ac polemica, eaque non exigua nostrae editionis utilitas et usus, quia multas servat eximias sive sacri textus, sive judaicarum precum discrepantias, et intacta quamplura loca antichristiana, quae in recentioribus perperam quaeruntur, quamquam in perpaucis quae supersunt, exemplaribus ea sint studiose abrasa vel deleta, ut sunt tum in membranaceo, quod supra commemoravimus, tum in chartaceo altero nostro exemplari. In celebri tamen oratione Alènu, quae primo volumine ac loco occurrit, verba להבל וריק *vanitati et inanitati* et אל אל לא יושיע *Deum qui non salvat*, Jesum nostrum non obscure innuentia, relicto vacuo spatio,

a typographo omissa sunt, qui tamen sibi non constans, intacta reliquit in secundo volumine, ubi reperiuntur. Quod et in tertia Soncinatum Pisauri curata sub initium XVI seculi factum video; sed in altera eorumdem sine anno et loco solum postremum verbum retentum est, reliqua omissa. De ea oratione plura Wulferus in Animadversionibus in Theriacam jud. p. 309.

MCCCCLXXXVII

XV

Psalterium cum Commentario R. David Kimchì fol. min. Neapoli anno CCXLVII, Chr. MCCCCLXXXVII.

Inter italicas urbes hebraicorum librorum impressione celebriores referenda sane est Neapolis, ubi plurima et insignia enumerantur XV seculo edita hebraicae typographiae monumenta. Prodiit primum nostra haec Psalmorum editio, quam statim, ipso scilicet eodem anno, consecuti sunt ceteri omnes Agiographorum libri, fusissimis et ipsi variorum Commentariis instructi. Ea porro incipit a praefatione Kimchii pagina versa. Textus Psalmorum, qui immediate sequitur, est quadratus cum punctis, sed sine accentibus, contextus Commentarii qui ei adhaeret in interiori margine ac majorem paginae partem implet, rabbinicus. Illius tamen litterae sunt Soncinensibus minores ac paullo rudiores, inter quas quae lineolam raphè suscipiunt, ea insigniuntur. Lignea tabula praefixa majoribus ornatis litteris exhibetur dictio אשרי, quae librum inchoat, Psalmi non numerantur, nec in V libros dividuntur, eorum tituli modo majusculis, modo minoribus typis sunt exarati, quidam non distincti, sed cum praecedentibus connexi. Quolibet quaternione notantur signaturae, sed desunt custodes, numeri, ac tituli paginarum, binis foliis exceptis, 3 ac 4, in quorum margine superiori coeperant typographi titulum תהלים imprimere. Nomen tetragrammaton et Elohìm per ד efferuntur, ut fieri solet in ceteris ejus aetatis editionibus. Constat autem editio foliis 118, seu 117 impressis et uno albo ad calcem, quod ad signaturae integritatem requiritur, hacque explicit correctoris subscriptione: ברוך ה׳ אלדים אלדי ישראל אשר לא עזב חסדו עמנו וזכנו לסיים זה תספר הקדוש והנורא ספר תהלים עם הביאור מרבי דוד קמחי ז״ל הארוך והנכבד יפה נוף . ועל זה הפי׳ אמרו אם אין קמח׳ אין תורה ואני הבא על החתום מתנצל באתי . בהיותי נמנה על המלאכה הזאת להגיה הספר דבר יום ביומו כפי המנהג מבעלי המלאכה הזאת . ואומ׳ בהיות כי ימצאו טעיות בנקוד הפסוק . זהו משני טעמים האחד כי אנחנו המתעסקים במלאכה הזאת חדשים מקרוב באנו לא שערו אבותינו באומנות הזאת . וכבר ידוע כי כל ההתחלות קשות . ולא הספיק לנו הזמן להאריך לעיין כפי הצורך בעניי׳ הנקוד . והטעם השני כי ינענו ולא הונח לנו למצוא ספרים מדויקים כפי הצורך אמנם אם ימצאו בו טעיות הם מעטים בערך שאר הספרים שכבר נעשו בהתחקות . ובפרט בביאור הקמחי ימצאו בו מעט מזער . ויותר יהיו מדוייקים הספרי׳ הבאים אחרי ספר תהלים בעזרת כונן מעללים . ואנחנו נשא מרום עינינו ונרים אל שמים ידינו ונבקש מהצור יתעלה יזכנו לסיים את אשר בלבבינו וחפץ ה׳ בידינו יצלח לגמור כל ספר כתובים עם הביאורים יותר מובחרים וכן יהא רעוא מן קדם אבוהון דבשמיא בענלא ובזמן קריב ואמרו אמן . נאם הגבר הוקם על מלאכת

ההגהה קטן התלמידים יעקב ברוך בן מה״רר
יהודה לנדא ז״ל אשכנזי המתגורר עתה פה
נאפולי . תם ונשלם ספר תהלים תהלה
לשוכן עליונים שנת ז״מר ד׳ ימים לחדש
ניסן יציאת גלות מצרים על ידי המחוקק
המופלג כמ״ר יוסף ב״ר יעקב ז״ל אשכנזי ה׳
למען רחמיו הרבים יוציאנו מזה הגלות
במהרה ונראה בבנין בית הבחירה ויחזיר
התורה והעטרה ליושנה ואז יהיה שמו
הגדול מהולל ונורא בפ׳ כל בריה. „ Benedictus Dominus Deus, Deus Israel, qui non dereliquit misericordiam suam nobiscum, dignosque nos fecit qui absolveremus librum hunc sanctum et tremendum, idest librum Psalmorum cum Commentario R. David Kimchì fel. mem., fuso, egregio, pulchro regionis, seu elegantissimo, de quo dicitur, si non est kimchà vel farina, non est lex. Ego vero infra scriptus excusans me venio, quum praefectus sim huic opificio, ut librum singulis diebus corrigerem juxta consuetudinem eorum qui hanc artem profitentur, et dico, quod si errores reperiantur in punctatione textus, id ex duplici caussa evenit, altera quidem, quod nos qui huic arti incumbimus, novi proxime accessimus. Patres nostri nihil de hac arte conjecerunt. Dudum autem notum est, quod omnia initia sunt difficilia, nec sat temporis habuimus, ut longiorem diligentiam vel studium, ut oportebat, in expendenda punctorum ratione impenderemus. Altera vero quod laboravimus quidem, sed datum nobis non est correctos codices reperire, ut expediebat. Sane si in eo reperientur errata, ea erunt pauca, facta comparatione cum reliquis libris qui hucusque sunt impressi. Praesertim vero in Kimchii expositione occurrent paucissima. Correctiores autem erunt libri qui Psalmos sequentur, eo opitulante qui opera disponit vel dirigit. Nos porro attollimus in altum oculos nostros, et elevamus ad caelos manus nostras, petimusque a Deo benedicto, ut dignos nos faciat absolvendi quod est in cordibus nostris, vel meditamur, et voluntas Domini manus nostras secundet, ut perficiamus universa agiographa selectioribus Commentariis stipata, sicque placeat patri eorum qui in caelis est, cito et proxime. Et dixerunt amen. Haec inquit vir operis correctioni praepositus, minimus discipulorum, Jacob Baruch filius excell. R. Jehudae Lando fel. mem. Germanus, peregrinans nunc hic Neapoli. Finitus absolutusque est liber Psalmorum, laus ei qui excelsa inhabitat, anno 247 die IV mensis nisan, mensis exitus ex captivitate Aegypti, opera egregii typographi excell. domini Josephi filii R. Jacobi fel. mem. Germani. Dominus propter misericordias suas multas educat nos ex hac captivitate quam citissime, ut videamus reaedificationem templi electi, restituatque legem et coronam in pristinum statum, tuncque erit nomen ejus magnum, laudatum, ac tremendum in ore omnis creaturae „.

Postrema haec verba typographi non sunt, ut scribit doctissimus Fabricy *Des titres primitifs* tom. II pag. 387, sed correctoris, ut patet ex honoris titulis, qui typographo ipsi tribuuntur. Jam vero quae in hac epigraphe proferuntur ad menda excusanda, ea maxime notabilia censet cl. Brunsius in notis ad Kennicotti Diss. gener. pag. 441 et in Annal. Helmst. 1782 p. 394, iisque utitur, ut falsi

arguat id quod affirmaveram in Specimine var. lect. Pontificii codicis edit. Tubing. p. 96, Romanae pag. 108, ex praestantibus codicibus optimaeque notae vetustas ac primarias editiones esse haustas, non esse jam meras conjectationes, sed constare id tum ex amplissimis typographorum ac correctorum testimoniis, tum ex facto ipso et conditione editionum. Multis opus non est, ut eorum quae scripsimus, veritatem tueamur. Extant revera ea testimonia in hebraicis editionibus XV seculi, ut vidimus in Diss. praelim. §. XXI, ubi de hoc argumento actum est, ipsaque nostra editio, referens correctoris studia et conatus, ut accuratos codices reperiret, ejusque excusationes, sat ostendit receptam editorum praxim eos adhibendi. Ejus etiam generis sunt errata, quae in hoc Psalterium irrepserunt, ut pateat typographicae potius artis esse, in qua novi plane homines erant, quam autographi quod assumpserant, hancque posteriorem excusationis caussam minorem veritatis speciem habere. Quis enim credat in urbe Neapolis accuratos Agiographorum codices defuisse, quos in primo hoc vulgando publico artis hujus specimine deligerent ac sequerentur? Sed id concedamus. Codicis praestantia non tam pendet ex accurata ac diligenti descriptione, quam ex optima conditione ac lectione textus qui eo continetur, hancque nos potissimum respicere, quum de nostrarum editionum praestantia, utilitate et usu agitur, aperte professi sumus. Ad priorem illam arguendam suam nec exiguam vim habent Judaeorum editorum testimonia, ad hanc infirmissimam, quia ii solent eam ex solis hodiernae masorae legibus ac consensione dimetiri, quum ex doctiorum nostrorum criticorum sententia ea dimetienda potius sit ex consensione cum antiquissimis vetustorum interpretum autographis codicibus. Esse autem possunt, et sunt reapse mss. codices non pauci, praesertim germanici, italici, quandoque etiam hispanici, praestantis notae, qui eam consensionem in textu exhibent, sed sunt minus accurate vel etiam indiligenter conscripti, sunt et editiones quae eorum conditionem sequuntur. Atque ejusmodi est editio nostra ac sequentium Agiographorum. Scatent ea erroribus, sed lectiones servant infinitas egregias et optimae notae, ut ex edita nostra Variarum Lectionum V. T. sylloge patet luculentissime. Haec de sacro textu.

Kimchii Commentarius est et ipse in hac editione multo plenior et auctior. Etenim singula loca quae Christianos vel eorum religionem lacessunt in posterioribus editionibus omissa vel mutata, integerrima hic, ut in primaria anni 1477 exhibentur. Immo nostra haec est aliquando liberior, ut statim constat ex Psalmo ipso II, ubi in antiquiore illa an. 1477 sacrosancto servatoris nostri nomine caute praetermisso, dicuntur Christiani illum interpretari על אותו האיש *de eo viro*. At in Neapolitana clarissime על ישו *de Jesu*. Sic Psal. XXII 32 illa הערלים *incircumcisi*, haec הנוצרים *Christiani*. In horum nonnullis nostra illam emendat, ut Psal. VII 8, ubi editio an. 1477 notat Christianos eum versum exponere על ישראל *de Israel*, Neapolitana recte על ישו *de Jesu*, ut fert contextus.

Ac de Kimchii potissimum Commentario intelligendus sane videtur Wulferus, qui in Animadversionibus ad Theriacam judaicam p. 244 nostram hanc editionem omnium, quotquot unquam vidit, vocat accuratissimam, eam nactum se esse saepe gavisus. Istud porro Psalterium cum reliquis partibus hoc eodem anno excusis integra constituunt Neapolitana Agiographa, antiquam quidem et pretiosam sacrorum Bibliorum editionem, non tamen primam et antiquiorem, ut parum accurate notat Schulzius in descriptione editionis Gersonianae p. 12. Integra ea extant in exigua hac mea bibliotheca, primis vero XVI Psalmis ac Paralipomenis mutila in Casanatensi, quaeque de unico exemplari adhuc superstite ac Judaeorum flammis erepto olim tradiderunt Pelletus et Kennicottus, paucis ac cursim a me esse refutata in Specimine Pontificii codicis p. 10, et adeo fabulosa esse, ut apud me unum varia extent exempla, monui in Appendice historico-critica ad Bibliothecam sacram le Longio-Maschianam, seu De ignotis antiquissimis sacri textus editionibus p. 27, ubi et observavi nostram hanc Psalmorum editionem esse partem rariorem. Ac Kennicottus ipse se eorum exemplar deinceps nactum esse et possidere testatur in Dissertatione generali sub numero 259, quo in ejus Bibliis innuuntur haec Agiographa. Singula haec exemplaria chartacea sunt, sed extant membranacea, quorum unum binis constans voluminibus et integrum, quod ad bibliothecam Gustavi Schroederi pertinebat, describit Wolfius in Bibliotheca hebr. tom. IV pag. 141.

XVI

Seder tachanunìm seu Ordo deprecationum in 4. min. Soncini an. CCXLVII, Christi MCCCCLXXXVII.

Charactere exaratus est quadrato cum punctis, foliisque constat 31, non pag. 30, ut notat Wolfius tom. II pag. 1451, ubi de eo agit. Ad calcem: ופה נשלם סדר תחנוני׳ אשר נהגו בני רומא י״צו והיתה השלמתו ביום ד׳ כ״ג אייר שנת רמ״ז פה שונצינו „ Hicque explicit ordo deprecationum, quo utuntur Romani, quos Deus custodiat, fuitque finis ejus feria IV die XXIII jiar (april.) an. 247 hic Soncini „. Quam epigraphem debeo humanitati cl. Adleri, qui eam in mei usum descripsit ex exemplari bibliothecae Seligmannianae, olim Oppenheimeri. Vide editum ejus Catalog. fol. 31 b. Ac perraram hanc editionem, quae adhuc nobis deest, memorant etiam doctissimi Assemani in Catal. Vatic. tom. I p. 305 eamque habuisse videntur prae manibus, nam monent codic. Vatic. 320, seu tachanunìm vel deprecationes eo contentas cum illa congruere. Iterum librum hunc Fani an. 246, Christi MDVI ediderunt Soncinates, quae editio non minus rara penes nos extat.

XVII

R. Salomonis Jarchì Comment. in Pentateuchum fol. Soncini an. CCXLVII, Christi MCCCCLXXXVII.

Summae raritatis editio, quae Judaeis ac Christianis omnibus bibliographis mihique ipsi olim ignotissima fuit, quum edita est Disquisitio de heb. typographiae origine. At vero feliciter deinceps bina ejus deteximus exempla,

eamque commemoravimus in Annalibus hebraeo-typographicis Sabionetae pag. 25. Incipit folio verso ab ipso Commentario, praemissa veluti tituli loco majusculis ornatisque litteris ligno insculptis prima sacri textus dictione בראשית, conclusaque pagina eleganti quodam ornatu, qui ramusculos ac flores repraesentat simul connexos, infra vero vacuum stemmatis locum, e cujus lateribus hinc inde bini angeli assident. Primum hoc folium impressum praecedit aliud album, quod ad signaturae complementum requiritur. Eo computato foliorum summa est 87. Paginae binis constant columnis, prima excepta, quaelibet columna lineis 46, quilibet quaternio suis signaturis, primo iterum excepto, cujus solum folium 3 signaturam exprimit. Saepe etiam in hac editione comparent paginarum custodes. Character est rabbinicus minor, idem plane qui in praecedentibus Soncini editionibus est adhibitus, sed initialia sectionum verba quadrato majori sunt exarata, majusculis autem ornatis ac ligneis prima vocabula Exodi, Numerorum, ac Deuteronomii. Quod Levitico praefici debebat, omissum est, relicto vacuo ejus spatio et quidem amplissimo, quod et in ceterorum librorum exordio conspicitur. Integer est quoad antichristiana loca Jarchianus textus, et sub finem haec leguntur: סליק ספרא דאלה הדברים וסליקו להו חמשה חומשי תורה בסייעתא דשמייא ט"ו לירח סיון רמ"ז לפ"ק ברוך נותן ליעף כח ולאין אונים עצמה ירבה. „ Explicit liber Deuteronomii, et expliciunt cum eo v libri legis, opitulante Deo, die xv mensis sivan (maii) an. 247 minoris supputationis. Benedictus qui dat defesso virtutem, et ei, qui viribus destituitur, robur addit „. Alia extat Soncinatum editio Ariminensis ineunte xvi seculo curata, quae et penes me est, et de qua Wolfius tom. I pag. 899, sed multis admissis erroribus, quos alibi, Deo dante, emendabimus.

XVIII

Job cum Commentario R. Levi Gersonidis, Canticum canticorum et Ecclesiastes cum Commentario R. Salomonis Jarchì, Threni cum Comment. R. Josephi Karae, Ruth, Esther, Daniel, Esdras, Nehemias, Paralipomena cum Comment. ejusdem Jarchii in fol. min. vel 4. maj. Neapoli an. CCXLVII sexti millenarii, Christi MCCCCLXXXVII.

Jam observavimus in Appendice ad Bibliothecam sacram le Longio-Maschianam Neapolit. Agiographa non unam, ut hucusque creditum est, sed tres diversas editiones complecti, quae etsi uno eodemque charactere constent eademque forma, a diversis tamen typographis et cum diversis Commentariis prodierunt, ideoque seorsim esse referendas. Psalterium cum Kimchii expositione edidit Joseph filius Jacobi Germanus, Proverbia cum fuso R. Immanuelis Commentario Chaiim filius Isaaci Levitae, reliqua Samuel filius Samuelis de Roma. Qui tamen tres typographi, iisdem typis utentes sive quadratis, sive rabbinicis, eademque editionis ratione ac forma, dubium non est, quin consociatis viribus et in eadem ut videtur, typographia integrum Agiographorum volumen seu completam eorum editionem vulgare sibi proposuerint, selectioribus nationis interpre-

tibus stipatam. De Psalterio supra egimus, de Proverbiis agemus inter editiones anno destitutas, nunc de reliquis. Eorum agmen ducit Jobus, cui alii succedunt libri eo ordine, quo in titulo retulimus. Textus sacer charactere exaratus est quadrato cum punctis, eodem quo Psalmi, Commentarii rabbinico. Primae dictiones Jobi ac Cantici canticorum majusculis litteris sunt expressae, ligneaque tabula vel ornatu clausae. Volumen 150 folia continet, quorum 48 Job occupat, Canticum 8, Ecclesiastes 10, Threni 4, non 5, ut asserit Wolfius tom. III pag. 881, Ruth 3, Esther 5, Daniel 13, Esdras 19, non 12, ut falso iterum notat idem Wolfius, Paralipomena 40.

Nehemiae liber in hac editione, ut in mss. fit, cum Esdra connectitur, nec Paralipomena in binos libros dividuntur, haecque expliciunt nota: ישתבח אשר לו דומיה תהלה. אחד ולא כאחדותינו השלם בכל שלימות בלי יחס לזולתו כי אין בלתו ולו אתן מהלל אשר היה עזרתה לנו להשלים המלאכה מלאכת הקוד' בתשעה לחדש בירח האיתנים שנת זמר' לאלף הששי במתא נאפולי על ידי שמואל יז"יא בז במ"ר אבי שמואל נירומא ז"צל יהי רעוא דיתי בר נפלי לפרוק לעמיה דבתרי קטלי מתקטלי בעגלא ובזמן קריב אמן ואמן „ Laudetur is cui convenit laus, qui unus est, sed non secundum unitatem nostram, perfectus omnimoda perfectione, absque ulla prosapia praeter eum, quoniam nihil est sine illo. Ipsi dabo gloriam, qui auxiliatus est nos, ut perficeremus opus, opus sanctum, die IX mensis ettanìm (septembris) anno 247 sexti millenarii in urbe Neapolis per manus Samuelis (qui videat semen prolungetque dies suos) filii domini patris mei Samuelis Romani piae memoriae. Placeat jam (Deo) ut veniat filius dejectorum ad eruendum populum suum, qui residuus est post caedes occisorum, cito et proxime. Amen amen „. Nomine בר נפלי seu *filii dejectorum* intelligitur Messias, sicque vocatur in tract. Sahedrin fol. 96. Copiosam et insignem in hisce Agiographis servari variarum lectionum segetem jam supra animadvertimus. Addo in iis servandis aliquando esse unica inter editiones. Vide Job IV 6, II Paralip. XXV 26 et 28, XXVIII 19 et XXXVI 23. Eadem in Commentariis varietas. Commentario Jobi Gersonidis praefatio praemittitur, sed reliqui sunt anonymi, quos tamen fere omnes Jarchii esse ex ejus collatione facile eruitur. Unicus excipiendus Commentarius Threnorum, quem non Jarchii, ut hucusque existimatum est, sed R. Josephi Karae esse colligimus ex codice nostro 456, auctoris Wolfio ignoti pudendoque anachronismo ab eo confusi cum R. Joseph Karo quatuor circiter seculis posteriore. Conf. dicta ad cod. nostrum 255. Commentarius Paralipomenon videtur Jarchiani compendium, vel Jarchianus ipse ab anonimo abbreviatus.

XIX

R. Jacobi ben Ascèr Jorè dehà, seu II ordo Arbà turìm, fol. in Iscàr an. CCXLVII, Chr. MCCCCLXXXVII.

Ignota haec editio paucis abhinc annis a me reperta, forma, typis ac in ceteris omnibus congruit cum editione primi ordinis Orach chaiìm anni 1485, quem solum fuisse impressum olim

conjeceram, quum nullum ex duobus exemplaribus, quae ejus detexeram, secundum hunc ordinem haberet adnexum. Patet hinc extrema ejus raritas ac tanta quidem, ut nostrum hoc unicum hucusque innotescat exemplum. Constat is foliis 137, albo quod sub initium reperitur et ad primam signaturam pertinet, in numerum assumpto, eleganti que explicit carmine, cujus bina quaeque hemistichia quatuor membris inciduntur, quorum tria priora eundem exhibent rhytmum, quartum peculiarem alium toto carmini communem, singula autem duobus bacchiis componuntur. In hoc carmine, quod incipit

אנשים ישישים גדולות מבקשים
דרושים קדושים חפצים לדעה

O viri veterani qui magna exquiritis,
Qui expositiones sanctas desideratis cognoscere,

et sistit pro more libri encomia, dicuntur sub dimidium ejus exempla באישאר שלמים *in Iscàr completa*, ac paullo post anno אר"ל ל"י *lux mihi*, seu 247, initiales vero litterae membrorum primae columnae dant hoc nomen אני אליעזר בן אלאנתא *Ego Eliezer filius Alanta*, reliquae tres initiales in exemplari vetustate corrosae. Subjicitur sigillum erectum leonem repraesentans, quod typographi esse proprium eumque indicare ex epigraphe prioris ordinis supra intelleximus. Contra ex nostri epigraphe intelligimus priorem in Iscàr editum fuisse, de quo incerto loco conjecturas nostras infra afferemus ad Pentateuchum cum Targum ac Jarchii Comment. anno 1490 ibidem impressum.

MCCCCLXXXVIII

XX

Biblia integra cum punctis et accentibus, in fol. min. Soncini an. CCXLVIII min. supput., Christi MCCCCLXXXVIII.

Singulae quidem hebraicorum Bibliorum partes seorsim hucusque variis temporibus ac diversis etiam in locis cum Commentariis editae sunt, quae si simul connectantur, ut connexas ipsi habemus, integrum Bibliorum corpus conficient selectioribus rabbinorum expositionibus illustratum. Nec alio sane studio Bononiensi Pentateucho priores ac posteriores Prophetas subnectere conati sunt Soncinates, nec iisdem Agiographa typographi Neapolitani. At integra simul Biblia cum punctis et accentibus et absque Commentariis edenda nemo susceperat, hicque honos Abrahamo Chaiimo reservabatur, qui sex abhinc annis primum Pentateuchum vulgaverat, editisque antea variis hebraicae typographiae monumentis nomen suum illustre reddiderat. Opus incipit versa folii pagina a prima Genesis voce בראשית majusculis ornatisque litteris ligno insculptis expressa, eaque tabula vel ornatu clausa, qui Soncinensi priorum Prophetarum editioni praemittitur. Iisdem majusculis ligneisque litteris vel dictionibus inchoantur plerique libri, quae tamen desunt in Deuteronomio, Judicibus, Samuele ac Regibus, relicto earum spatio, in Isaia vero majora quidem adhibita, sed fusa nec ornata elementa. Duabus columnis constant paginae, paucis exceptis quae sunt integrae, columna quaelibet comuniter lineis 30, aliquando tamen una linea minuitur

vel excedit, rarius duabus. Folia non numerantur, sed habent supra expressos librorum vel sectionum titulos, infra vero custodes et signaturas.

Initia sectionum legis quadrato charactere majori ac rudiori sunt exarata, character textus est paullo minor eo, qui in Prophetis an. 1486 aliisque Soncinensibus editionibus conspicitur, non inelegans, sed paullulum acuminatus, nec ad hispanicam formam ac perfectionem accedens. Litterae non perfecte aequales, nec sat aequaliter dispositae. Divina nomina per ד efferuntur, Prophetae minores unicum librum constituunt, nulla facta eorum sive ampliori spatio, sive novis titulis, sive demum majoribus initialibus litteris, distinctione, unicum etiam Esdras et Nehemias, ac bini Samuelis, Regum et Chronicorum. Librorum dimidium consueta formula in textu ac textualibus litteris indicatur, sub finem Threnorum et Ecclesiastes consueti versus repetuntur, sed in Isaia ac Malachia sola apposita sigla יתקק, quae mendose etiam reperitur ad calcem Ezechielis. Prima pagina Josuae eodem ornatu decoratur, quo Commentarius Jarchianus anni praecedentis, qui flores quidem et ramos, vacuum infra stemmatis locum tresque angelos repraesentat, non multas absurdasque animalium circumductas figuras, ut falso asserit cl. Brunsius in notis ad Kennic. Diss. gen. p. 442. Solus angelus superior ad exterius ac dexterum latus baculum vel lanceam in os immittit exigui capitis bovis, quod nec integrum prominet. Numeratis iterum et accuratius foliis totius editionis in integerrimo meo exemplari, comperio ea esse 380, quorum 99 occupat Pentateuchus, 13 Meghillòth, quae hic Pentateucho succedunt eodem modo et ordine, quo in Bibliis Hoogthianis, 87 Prophetae priores, quorum postremo verso incipit Isaias, 88 posteriores, 93 Agiographa. Loquor autem de impressis, nam in cl. Fabricy summa quae producitur ad 383, proculdubio comprehenduntur alba nonnulla in Romanis exemplis inserta.

Quamvis autem epigraphe totam editionem complectatur, ea tamen non ad Agiographorum, sed ad Pentateuchi calcem subjicitur, his verbis concepta: וושלם מלאכת עבודת הקדש העשרים ארבע בשלמות אשר החכים להרביץ תורה בישראל המפואר כמ״ר יהושע יז״א בכמ״ר החכם הכולל ישראל נתן יש״רו היום יום שלישי באחד עשר לחדש אייר שנת רמ״ח לפרט קטן על יד הצעיר ממשפחתו האומן המחוקק אברהם יז״א בכ״מר חיים ז״ל מן הצבועים מארץ פיסרו הדר בבולוניה נחקק בסונציני „ Perfectum est autem opus ministerii sancti XXIV librorum perfectione qua studuit propagare legem in Israel clarissimus et excell. R. Josuas Salomon, qui videat semen ac prolunget dies, filius excell. sapientis perfecti Israelis Nathanis qui videat annos multos et bonos, hodie feria III die XI mensis jiar (in. maji) an. 248 minoris supputationis per manum minimi ex familia sua artificis imprimentis vel typographi Abrahami, qui videat semen ac dies producat, filii domini R. Chaìim fel. mem. ex tinctoribus regionis Pisauri, habitantis Bononiae. Excusum Soncini „. Hanc typographi subscriptionem male notat doctissimus Montfauconiùs in Mediceo exemplari cum prima pagina excidisse,

eam quaerens loco non suo, seu in titulo primae paginae, quo ejus aetatis editiones carebant. Varie etiam a doctis in ea referenda vel vertenda peccatum est. Pro החכים *studuit propagare* non accurate le Longius Biblioth. sacr. tom. I p. 62 vertit *sapiens ad docendum*, legens החכם, voxque האומן in significatione *artificis* est sumenda, non *fidelis*, ut eam sumunt idem le Longius, Biscionius ac Fabricy. Corrigendus iterum le Longius aliique qui vertunt *ex piis viris terrae Pisauri*, ac si in textu non הצבועים, sed הצדיקים haberetur, ut corrigendus est in eo quod subdat *qui Bononiae resident*. In textu namque habetur הדר in singulari, quod non ad fullones, sed ad solum Abrahamum referendum est. In hunc eundem errorem labuntur Wolfius ac Fabricy. Bononia porro est quidem locus habitationis typographi, qui illic ab anno 1482, seu post excusum Pentateuchum degebat, non editionis, ut male accepit Hodius De Bibliorum textibus orig. p. 449, et auctor Catalogi bibliothecae Barberinae, qui et in eo est emendandus, quod consuetam boni ominis formulam יצ"א quae viventis nomini compendiosa scribendi ratione subjici solet, pro proprio typographi cognomine accipiens, librum apud Abrahamum Jarziam prodiisse adfirmet. Cl. Tychsenius qui editionem nostram Neapolitanam appellat in Befreyetes Tentamen p. 134, solo calami lapsu videtur locum confudisse. Pisaurensis autem profecto erat typographus, sed Pisaurum in Venetorum ditione non est, ut subdit Maittairius Annal. typ. tom. I p. 182, quem miror in utraque I voluminis editione constanter typographicum illud mendum במה pro רמה in aerae designatione retinuisse, quod in le Longii textum irrepserat. Atque haec de externa editionis conditione.

Quod vero ad internam attinet, non modo Kerì plerumque in textum recipit, sed et infinitam vereque pretiosam variarum lectionum segetem suppeditat, quam ad multa millia ascendere testatur Kennicottus, et utraque collatio amplissime confirmat. In earum numero non paucae gravissimae, rariores, unicae, nec paucae sunt, in quibus servandis est unica editio, ut observavimus in Clavi codicum Variis nostris Lectionibus praefixa tom. I p. CXXXIX. Conferant. praesertim Gen. IV 17, V 29, XLVI 9, Exod. V 8, VI 15, X 12, XXIII 31, XXXV 35, Levit. XI 42, XVI 28, Num. V 10, XIV 17, XXVI 30, XXVIII 27, 28, XXXII 16, 26, XXXIII 33, Deut. I 37, III 14, 27, IV 8, V 9, XII 16, XXVI 19, XXIX 10, XXXII 46, XXXIV 2, aliquando unica sine mss., ut Exod. V 10, Deut. XXII 3'. Insignis haec a masorethico textu dissensio indicio est Biblia Soncinensia ex germanicis codicibus esse desumpta, qui magis discrepant, hocque argumento utiliter uti poterat Brunsius commemorato superius loco ut id demonstraret, non futili illo et falso quod petit ex majusculis ornatisque litteris et ex animalium figuris, ac si haec ornamenta ad autographi normam ac fidem, et non potius ad editoris arbitrium ac voluntatem adhiberentur. Miror doctissimum virum non animadvertisse majusculas eas litteras et or-

natas in pluribus xv seculi editionibus occurrere, de quibus dubitari non potest, quin ex hispanicis codicibus sint haustae. Videlicet in Bibliis antiquis sine anno et loco, in Pentateucho Sorae vel Iscàr an. 1490, in Ulyssiponensi 1491, in antiquo sine anno et loco, in Proverbiis cum Commentario Kav venakì an. 1492, aliisque, quae et in Lusitania fere omnes prodierunt, ubi hispanicorum codicum usus vigebat. In harum nonnullis, ut in Bibliis et in Pentateucho sine anno et loco, et in Sorano 1490, occurrunt etiam animalium figurae, atque in Bibliis quidem sub initium Josuae, ut vehementer verear, ne Biblia haec cum Soncinensibus nostris Brunsius confuderit. In Soncinensibus enim eae animalium figurae, ut diximus, non extant.

Perperam etiam is argumentatur ex nota יחזק, quae extat ad calcem Ezechielis, quam retentam putat ex Isaia, qui Ezechielis locum seu tertium juxta germanicorum ordinem in ms. servabat, non animadvertens eam notam etiam in Isaia in nostra editione legi, et ex mera scribae vel tipothetae oscitantia in Ezechiele repetitam fuisse. Validius argumentum petitur ex mendis quibus scatent haec Biblia, solent enim germanici codices esse indiligentius scripti, quamquam et eorum pleraque in editionem ipsam, non in ejus autographum, sunt rejicienda. Quaedam vero esse possunt praecedentis editionis utrorumque Prophetarum an. 1486, quam nostra saepe sequitur. Congruit etiam saepe in singularibus lectionibus cum Kennicottiano cod. 253, qui tamen cum Bibliis ipsis sit recentior, ex iis desumptus existimandus est, non eorumdem typus. Falsa autem esse, quae Biblioth. sacr. tom. I pag. 6 ad celeberrimam hanc ac primariam sacri textus editionem notat cl. Maschius, editiones in officinis Soncinatum exscriptas sibi invicem exacte respondere, idque non sine fundamento ex communi illarum origine colligere, jam monuimus in Appendice ad eandem Bibliothecam pag. 27. Etenim Soncinates varii fuerunt, et pro diversitate locorum ac temporum diversos etiam sacri textus codices edendos susceperunt. Hinc fere omnes discrepant. Haec autem Biblia, Soncini quidem et Soncinatis sumptibus, sed a Pisaurensi typographo impressa, quammaxime a Brixiensibus an. 1494 aliisque Soncinatum editionibus differunt. Inter ea vero et Pentateuchum Bononiensem, licet ab eodem typographo Abrahamo ben Chaiim editum, tam insigne extat discrimen, ut nihil sit minus verum, ut supra ad eundem Pentateuchum observavimus, quam id quod notat cl. Tychsenius in ej. Descript. p. 81, ex Bonon. Soncinensem nostrum esse petitum et summam esse inter utrumque consensionem.

Praestantissima porro hac editione vix rariorem librum adesse statuunt Acta eruditorum Lipsiensia ad annum 1753, quibus adstipulatur Simonis Introd. in ling. heb. p. 261, Biscionius Biblioth. heb. Flor. in 8. pag. 6, Osmont *Dict. typ. des livr. rar.* tom. I p. 100, Bibliotheca univers. libr. rar. 8. 1770 tom. I p. 96, Fabricy *Titres primitifs* tom. II p. 383, et *Lettres d'un Romain* pag. 53, De Bure *Bibliogr. Instr.* tom. I p. 18, *Diction.*

bibliogr. des livr. rar. 8. 3 voll. Par. 1791 inter anon., qui eam rarissimam vel extremae raritatis esse animadvertunt. Tria tantum exemplaria in Europa dignosci testatur Kennicottus in Statu collationis an. 1767 pag. 112, duo scilicet quae Romae extant in bibliothecis Barberina et divae Pudentianae monachorum Cisterciensium, tertium vero Florentiae in Laurentiana. Quibus quartum addendum notat eo ipso anno a docto amico suo Sanfordio acquisitum, quod postea in bibliothecam Collegii Exoniensis pertransiisse asserit in Dissertat. gener. §. 151, et ad cod. 260, quo in Kennicottiana collatione Soncinensia Biblia designantur. Priora illa exempla omnia vidimus, ac secundum quidem divae Pudentianae, integrum ac splendidissimum, illud ipsum est, quod possidere se monet Bartoloccius in Biblioth. rabb. tom. I p. 433. Cl. Fabricy, postremo praetermisso, ejus loco alterum nominat quod servari inquit in bibliotheca Margravii Baden-Durlach. Quinque his exemplaribus sextum addendum est, quod Viennae in bibliotheca Imperiali custoditur, teste Lambacher Biblioth. antiqua Vindob. civ. parte I pag. 2, septimum luculentissimum quod paullo ante quam Disquisitionem ederem de heb. typogr. orig. Florentiae detexeram in bibliotheca divi Marci inter codices editos sec. XV num. 107, falso exterius designato anno 1483, et octavum, pariter nitidissimum, quod Romae in bibliotheca Collegii Romani deinceps conspexi, humanissime mihi ostensum a cl. Lazzeri. Addenda tandem et bina alia integra quae praeter mutilum illud priorum ac posteriorum Prophetarum in Disquisitione memoratum, postea in manus meas devenerunt, quorum alterum exiguam meam hanc bibliothecam exornat, alterum Crevennianae concessi, in minori ejus Catalogo relatum tom. I p. 3.

XXI

R. Abrahami Aben Ezrae Commentarius in Pentat. in fol. min. Neapoli an. CCXLVIII, Chr. MCCCCLXXXVIII.

Incipit folio verso, praemisso superius titulo פירוש התורה שחבר רבי אברהם בן עזרא *Commentarius legis, quem composuit R. Abraham ben Ezrà*, lignea tabula vel ornatu circumsepto, qui etiam sub initium ceterorum librorum occurrit. Binis columnis constant paginae, columnae lineis 45, editio foliis 98 impressis praeter album quod extat ad calcem. Adsunt tituli sectionum in superiori margine paginarum, in inferiori custodes et signaturae. Character rabbinicus, sed initialia librorum, sectionum, divisionum verba quadratis typis majoribus expressa. Sub finem Exodi nota quaedam subjicitur, qua Commentarius in hunc librum dicitur ab auctore absolutus anno תתקיג seu 913, Christi 1153, manifesteque confutatur eorum opinio qui Aben Ezram anno 4908, Chr. 1148 putant obiisse. Nota haec in Bibliis rabbinicis Venetis aliisque editionibus omissa, iterum comparet in binis aliis antiquis ac rarissimis nostri Commentarii editionibus, quae apud me extant, videlicet in CPolitanis an. 1514 et 1522. Extat etiam in cod. meo 686 aliisque nonnullis codicibus. Explicit autem editio correctoris Mosis ben Chavìv epigraphe, in qua post eximias tum

Aben Ezrae ejusque Commentario., tum Josephi Aschenazì ejusque filii in arte typographica peritiae tributas laudes, impensique a se summi in emendando opere studii perfectaeque ejus correctionis testimonium, subdit se illud absolvisse, שנת לי"י אנכי אשירה א'ז'מ'ר' . א'ל'ה' ימי העמר אני הוא המדבר הנני הצעיר משה בכר שם טוב למשפחת בן חביב ספרדי מתושבי הקהלה הקדושה אשר בלישבונה . קריה נאמנה . המתגורר פה העירה נאפולי הלא לאמונה . והתהלה לאל לבדו . אמן ואמן . „ anno Domino ego cantabo, psallam, seu CCXLVIII. Isti seu XXXVI, sunt dies omer. Ego sum qui loquor, ecce ego minimus Moses filius excell. R. Scem Tov ex familia ben Chaviv hispani, ex habitatoribus synagogae sanctae quae est Ulyssipone, urbe fideli, peregrinans hic in urbe Neapoli annon propter religionem? Laus sit soli Deo. Amen amen „. Quum utrumque vocabulum אז"מר א"לה, quod in epigraphe proxime adhaeret et punctis instruitur, in anni supputationem olim assumpserim, editionem hanc ad annum 284, Christi 1524 amandavi in Disquis. de heb. typogr. orig. pag. 76 et 77. At vero ea iterum in manus resumpta, diligentiusque perpensa sive editionis ipsius conditione, sive epigraphis contextu, statim vidi binas diversas iis verbis supputationes contineri, priori quidem annorum, altero vero dierum omer, ac propterea absolutam esse editionem an. 248 die XXXVI omer, idest XXI mensis jiar, seu decurrente majo nostro. Notae sane omnes editionis produnt XV seculum, ea aetate vivebat librosque excudebat typographus, ea aetate florebat corrector, nec aliunde ad seriorem eum annum 1524 referri ea potest, quo jam dudum a Neapoli pulsi fuerant Judaei. Pulsi namque sunt an. 255, Chr. 1495, ut tradit recentissimus Judaeorum scriptor R. David Azulai in II parte Scem aghedolìm fol. 54. Wolfius, qui tom. I pag. 74 annum nostrae editionis, quam in bibliotheca Edzardiana testatur servari, statuit 1527, in eundem errorem cecidit, ac postremam litteram praeterea confudit. Etenim si utramque eam vocem numeras, et ח pro ה legis, summam habebis annorum 287, Christi 1527.

Primaria porro haec Aben Ezrae editio ad eas referenda est, quae ejus textum servant intactum, nec castrata loca quae nobis opponuntur. Sic ad Genes. XXVII 40 leguntur ea verba והיו אנשים מתי מספר שהאמינו באיש ששמוהו אלוה . וכאשר האמינה רומי בימי קוסטנטין שהדש כל הדת ושם על דגלו צורת תלוי על ידי כומר אדומי ולא היו ששמרו התורה החדשה חוץ מהאדומיים מעטים על כן נקראה רומי מלכות אדום „ Fueruntque homines numero pauci, qui crediderint in virum, quem constituerunt Deum quumque credidit Roma in diebus Constantini, qui innovavit omnem religionem, posuitque super vexillum suum imaginem crucifixi opera sacerdotis Edomaei, non fuerunt qui servarent novam legem nisi pauci Edomaei; quapropter vocatur Roma regnum Edom „. Leguntur etiam in utraque CPolitana, quam supra commemoravimus, et quod mireris, in Veneta Bibliorum rabbin. Jacobi Chaiimi, uti et in omnibus meis mss., sed in posterioribus editionibus sunt omissa. Pfeifferus, qui hunc textum profert, licet non integrum, in

Theol. judaica pag. 211 pro תלוי legit האיש ההוא *viri illius*, quo Judaeos saepe Jesum nostrum innuere notissimum est. Sed allatae editiones, ut et codices mss. nostri, in priori lectione consentiunt, nec nisi exigua omnino est in reliquis varietas. Consentiunt quoque cum Neapolitana nostra in illis legendis, quae iterum adversus nos habet Aben Ezra sub initium cap. XVIII Geneseos, seu sectionis Vajàr elàv: תועי רוח אמרו כי השם שלשה אנשים. דוא אחד והוא שלשה ולא יתפרדו. והנה שכחו ויבאו שני המלאכים סדומה „ Qui errant spiritu, asserunt Deum habere tres personas, eumque unum esse et trinum, nec separari vel disjungi, obliti quod venerunt duo àngeli Sodomam „. Quod si aliquis esset Judaeorum adeo stupidus ac nostrorum dogmatum ignarus, qui nesciret qui per תועי seu *errantes* intelligantur, codex meus 326 monet ad marginem ibi הנצרים seu *Christianos* indigitari. Perrarae hujus editionis integra supersunt exempla tum in nostra, tum in Casanatensi bibliotheca. Vide editum ejus Catalogum tom. I p. 8.

XXII

Anonymi Makrè dardekè, Praeceptor, doctor puerorum, seu Lexicon hebraeo-italico-arabico-rabbinicum, in fol. min. sine loco, sed Neap. an. V̄. CCXLVIII, Christi MCCCCLXXXVIII.

Titulus qui hucusque vel nullus, vel in superiori margine operi praeficiebatur, in hac editione exhibetur folio separato, sed verso, ligneoque ornatu condecoratus, זה הספר נקרא מקרי דרדקי *Hic est liber dictus Makrè dardekè*. Auctoris praefationi, quae sistitur folio sequenti, versus nonnulli praemittuntur ac subduntur, quorum bini quique, seu bina hemistichia quatuor membris absolvuntur incisis, tribus eodem rythmo constantibus, postremo vero peculiari in toto carmine simili. Opus secundum litterarum seriem ita dispositum est, ut hebraico vocabulo statim subjiciatur italica expositio, deinde arabica, postea sacri textus exemplum, postremo hebraica vel rabbinica synonima et Jarchii vel Kimchii interpretatio, a latere vero ac sub finem lineae sacer liber, unde exemplum desumptum. Pleraeque radices ac voces explicandae, ut et libri titulus, majoribus typis quadratis exprimuntur, minoribus reliquae, rabbinicis subjectae expositiones, quae et variae sunt pro variis earumdem vocum significationibus. Hac explicit rythmica nota:

זה היום ראש חדש אלול שנת ה׳ רחם
ליצירה
על הר גבוה ותלול יעלה בו כל דרוש תורה
ומצא דרך ומסלול ורגלו רגל ישרה

„ Hodie, die prima mensis ellul, anno Dominus misertus est, seu 5248 creationis,
„ Ad montem excelsum et aggestum ascendat quicumque exquirit legem,
„ Invenietque viam ac semitam qua pes ejus incedat recte.

In vocabulo דרוש non dubito quin oscitanter vau transpositum sit, ac legendum דורש, ut postulat contextus. Multa etiam emendanda in bibliographis, qui de hac editione egerunt, parum accurate tradita. Quod ad titulum spectat, jam olim innui De heb. typog. orig. pag. 76 non Mikrè, sed potius Makrè legi debere, ut sit participium praesens verbi קרא in conj.

aphel, *legere faciens, instruens, doctor, praeceptor*. Lectionem et interpretationem hanc luculenter nunc video ab auctore ipso confirmari, quo sane nemo melior interpres, ad calcem praefationis: קראתיו מקרי דרדקי פי׳ מלמד תינוקות *vocavi eum Makrè dardekè, expositio doctor puerorum*, productis exemplis ex tractatu Ghittìn et Jevamòth, in quibus ea verba in eadem significatione occurrunt. Quae suppleri velim in magno Buxtorfii Lexico talmudico-rabbinico. Corrigendus ergo Wolfius Bibl. hebr. tom. II p. 1367, aliique qui librum vocant Mikiè in infinitivo kal, *legere* vel *lectio parvulorum*, ut corrigendus est Catalogus bibliothecae Seligmannianae, olim Oppenheimeri, qui ab utraque ac genuina lectione recedens fol. 28 b, eum appellat Mikrà dardekè. Non modo autem nihil habet Wolfius de lingua arabica, sed et quae sub peregrinae, seu vulgaris nomine intelligatur, non notat, ut non notat Seligmanni Catalogus, qui praeterea perperam addit עם לשון צרפת ישן *cum lingua gallica antiqua*, cujus ea tantum extant vestigia ac vocabula, quae in suo Commentario profert Jarchius. Male etiam idem Wolfius ac Catalogus, Wolfiumque secuti auctores non pauci, ut Marchandus *Hist. de l'imprim.* pag. 83, Maittaire Ann. typ. tom. V parte II pag. 537, Olaus Celsius Biblioth. Stokolm. Historia pag. 195, ac cl. Todarinius *Della letteratura turchesca* tom. III pag. 1, librum CPoli impressum crediderunt. Etenim idem omnino est ligneus ornatus quo titulus continetur, cum eo qui extat in Neapolitana Aben Ezrae editione hujus anni, idem prorsus character rabbinicus, idem uterque cum reliquis omnibus Josephi Aschenazì editionibus, ut dubitari quidem non possit, quin nostra editio ex ejusdem Josephi praelo Neapoli prodierit, nec ulla ea aetate CPoli hebraica typographia vigebat, ut verosimili aliquo argumento ad eam urbem possit referri. At vero si in conjiciendo loco erravit Wolfius, non erravit, ut suspicatus olim sum, in describenda aera, nisi quod praecedens ה׳ seu V millenaria omiserit, et pro majore computatione quam habet epigraphe, minorem dederit. Quae tunc habebam, ac p. 77 De hebr. typ. orig. protuli suspicionis argumenta, petita ex seriori aetate sive editionis Aben Ezrae, cum qua nostra consentit, sive Mosis ben Chaviv qui eam correxerat, propter religionem e Lusitania profugi, ea nunc, ut paullo ante vidimus, evanescunt, nec separatus ille titulus, etsi singularis, tanti jam roboris est, ut infirmare queat editionem et aeram aliunde indubiam. Quis opus composuerit, incertum est, eum tamen floruisse exeunte XIII seculo, illudque an. 1290 concinasse ea praefationis verba כהיום שנת כ״ל *sicut hodie anno L*, sub initium occurrentia indigitant. Constat editio foliis 78, ac praeter meum exemplar ac Seligmannianum extat et in biblioth. Propag.

XXIII

R. Mosis filii Jacobi Kotzensis Liber mitzwòth gadòl, seu praeceptorum magnus, dictus Samàg, in fol. sine loco, sed Soncini, an. CCXLIX, Christi MCCCCLXXXVIII, vel in. MCCCCLXXXIX.

Rarissima editio, cujus nulla apud Bartoloccium, Wolfium ceterosque bi-

bliographos reperiuntur vestigia. Opus a Judaeis, et ex Christianis a Wagenseilio, Simonio, Grotio aliisque summopere laudatum, summique reapse emolumenti et usus, in duas partes dispescitur, quarum prima, quae foliis constat 102, praecepta Mosaica negantia, altera quae foliis 178, adfirmantia exhibet. Ab ipsa porro auctoris praefatione incipit, praemissis consuetis tribus Psalmorum versibus, *Quam dilexi legem tuam* etc. ligneoque eleganti ornatu, quo primum ejusdem praefationis vocabulum, seu Mosis nomen continetur, iis majusculis ornatisque litteris exaratum, quae in ceteris Soncinatum libris et in nostro hoc iterum sub utriusque partis seu utrorumque praeceptorum initium conspiciuntur. Paginae in binas columnas divisae, quae constant communiter lineis 48, character quadratus minor sat luculentus, paullo major et inelegans is quo initiales praeceptorum dictiones sunt excusae. Praemittitur utraeque parti index, secundae vero haec subjicitur typographi nota: ותשלם המלאכה ערוכה ויפה צריפה מזוקקת מדוייקת כאשר גרסה נפשי ועלה במחשבת ונשלם בשנת רמ"ט לאלף הששי בחמשה עשר בטבת שבח לאל אומר ועושה אשר נתן אלי חנו נאם גרשם בן הח"ר משה זרע ישר"אל איש שונצינו: „ Jam vero absolutum est opus dispositum et pulcherrimum, probatum, purgatum, accuratissimum, prout didicit vel studuit mens mea, venitque in cogitationem, ac finitum anno CCXLIX sexti millenarii die XV mensis tebeth. Laus sit Deo qui dicit et facit, qui dedit mihi gratiam suam, inquit Gersom filius sapientis R. Mosis ex semine Israel, vir Soncinas „. Dies XV tebeth incidit in finem decembris anni nostri exeuntis 1488, vel in initium januarii novi anni 1489. Gerson hoc anno Soncini adhuc degebat nec patriam deseruerat, ideoque nullum dubium est, quin Soncini prodierit editio. Prima est etiam, in qua ejus nomen solum compareat, quod deinde, deserta patria, ac pervagatis pluribus Italiae urbibus, editisque ubique libris, adeo celebre evasit, donec tandem senex abiit CPolim, ubi paullo post editum anno 1530 Kimchii Michlòl supremum obiit diem. Nam anno 294, Christi 1534 Cheder torà, et anno 295, Christi 1535 R. Immanuelis Mechabberòth seu poeticae Compositiones non amplius a patre, sed ab ejus filio Eliezere editae sunt, qui in arte typographica illi successerat, apposita patris nomini consueta defuncti sigla ז"ל, seu benedictionis formula. In quo emendanda est Buxtorfii Biblioth. rabbinica p. 119. Multa habentur in hac editione antichristiana, quae in meo exemplari deleta sunt, et in aliis editionibus plerumque omissa. Quamquam et verba quaedam acerbiora, quae poterant Christianorum odium magis concitare, omisit editor, vacuo relicto spatio, ut patet ex ipsa praefatione ac 1 folio verso, ubi scribit Kotzensis Deum praevidisse mundi nationes sibi sacros libros descripturas fore eosque immutaturas לרעה ולמינו׳ *in malum et in haeresim*. Desunt haec verba tum hic, tum paullo post, ubi paucis interjectis repetuntur, sed adsunt in mss. codicibus, et in editione altera antiquiore et primaria sine anno et loco. Praeter meum aliud in biblioth. Collegii Romani vidi exemplar sub fin. mutilum.

MCCCCLXXXIX

XXIV

Tractatus talmudicus Cholìn seu de Prophanis cum Tosephòth seu Additamentis, Commentario Rascì, et Piskè tosaphòth, vel Decisionibus eorumdem additamentorum, in fol. sine loco, sed Soncini, an. CCXLIX, Chr. MCCCCLXXXIX.

Una ex multis editionibus hucusque ignotis ac nonnisi post editum libellum De hebraicae typographiae origine a me detectis. Praecedit primo folio verso fusa correctoris R. David filii R. Eliae Levitae praefatio vel monitum, cujus ea nos excerpta suppeditamus, quae editionis nostrae historiam illustrant: אחרי נתייאשתי מלהסתפח עוד בנחלת ה׳ לאמור לך עבוד עבודות אחרות בסיבת מאורעות רעו׳ מצאוני יצאוני הוני עוד היה אלקי׳ עמדי והאלקי׳ אנה לידי ראשית כחי וראשית אוני ואותי השיב על בני והנני מתחיל ב״עה במס׳ חולין יען היות בה דיני איסור והיתר אשר הוא עיקר גדול מתורתינו וכבר הודעתיך בהתהלת כתובות ענין מלאכה זו ואותו כתבתי למען הודיעך כי הטעיות המועט׳ תמצא בהן שלא בסבתי נשארו והנה עתה שבא אצלנו ר׳ מרדכי בכמ״ר ראובן יצ״ו באז״לא הגיה הדפוס ידעתי שאף תבה אחת לא נעדרה ואף באותיות לא תמצ׳ חסר או יתיר אחרת מני אלף „ Postquam animum vel spem abjeceram amplius applicandi me haereditati Domini, dicens, vade, operam impende aliis occupationibus, ob infaustos casus qui mihi acciderunt, meque spoliarunt mea substantia, iterum mecum fuit Deus, detulitque is ad manus meas initium roboris mei et initium opum mearum, meque ad filios meos seu familiam meam restituit; et ecce ego incipio auxiliante Deo a tractatu Cholìn, quia complectitur is constitutiones vetiti et liciti, quae sunt maximum legis nostrae fundamentum. Manifestavi autem jam tibi sub initium Cheduvòth negotium vel rationem artis hujus, illudque conscripsi, ut ostenderem tibi quod errores paucos in iis reperies, qui non mea culpa sunt relicti, nunc vero quod venit nobiscum R. Mordachai filius R. Ruben, quem Deus tueatur, Basla, et editionem correxit, scio quod nec una quidem dictio est omissa, immo nec ullam litteram ex millibus invenies, quae deficiat vel redundet „. Expositisque pluribus locis, quae tum in Gemarae textu, tum in Tosephòth ac Rascio videntur emendanda vel in melius restituenda, subdit si haec ac similia reperiantur, mirandum jam non esse, sed alios potius codices consulendos, quum ipse in quatuor codicibus, quos ad manus habebat, sic ea loca repererit. Si vero etiam forte codex ullus extet ex parte iis erroribus immunis, ei qui tractatus singulos intra binorum mensium spatium pro typographicae artis consuetudine corrigendos assumit, otium certe non suppetere codices omnes investigandi per universum orbem dispersos. Ac subjectis deinde locis quibusdam a se vel unius tantum codicis auctoritate contra reliquorum fidem, vel etiam ex suo ingenio, praeeunte tamen ratione, restitutis, praefationem claudit, testans se haec omnia lectori indicare, ut si fortassis ob tenuitatem cognitionis suae erraret, faciat is quod bonum est in oculis suis et corrigat. Pagina sequens qua opus incipit, ligneo eo ornatu circumdata est inferius vacuum stemmatis locum atque binos

inde assidentes angelos repraesentante, quem in aliis Soncinatum editionibus occurrere jam vidimus. Eadem autem est omnino nostrae editionis ac tractatus ratio cum tractatu Beracòth anni 1484, eadem dispositio, iidem typi sive quadrati miscnici ac gemarici textus, qui medium occupat locum, sive rabbinici Tosephòth ac Jarchiani Commentarii, qui ejus latera. Ad calcem subjiciuntur Decisiones additamentorum ac brevissima haec typographi nota וסליקא לה מסכ׳ חולין היום טו׳ לחדש תמוז רמ״ט לפ״ק *Explicit tractatus Cholìn hodie, die XV mensis tamuz anno CCXLIX aerae minoris*, idest sub finem junii anni nostri 1489, et quidem, ut notae omnes ostendunt, Soncini et a Gersone Soncinate, qui hoc anno ac sequenti adhuc in patria reperiebatur. Perrara haec editio foliis constat 184, ejusque bina tantum quae corrasimus, hucusque innotescunt exempla, alterum quidem integerrimum quo utimur, alterum vero valde imperfectum.

XXV

R. Mosis Nachmanidis Commentarius in Pentateuchum, in fol. 2 voll. Ulyssipone an. CCXLIX, Chr. MCCCCLXXXIX.

Ex exemplari quod possidebat Jablonskius, editionem hanc describit Wolfius in IV Bibliothecae suae volumine p. 920, ubi eam merito appellat rarissimam. At in exscribenda epigraphe quae extat sub finem, gravissime hallucinatur. Etenim quum illa 36 versibus comprehendatur, binis columnis ita dispositis, ut unicuique versui prioris columnae immediate versus rythmicus posterioris succedat, ut fieri solet in omnibus Judaeorum poematibus, ipse simul legit ac retulit versus omnes prioris columnae, deinde versus omnes posterioris sensu plane nullo vel prorsus incongruo. In eo etiam errat Wolfius quod elaboratam statuat in domo cujusdam R. Arbà, potissimum vero quod eandem esse putet cum editione anni 1490, propterea quod verosimile ipsi non videatur idem opus eodem fere anno repetita vice lucem vidisse. At vidit profecto, nosque ipsi utramque editionem possidemus, alteram quidem Ulyssipone in Lusitania, alteram vero in Italia ac Neapoli, ut infra videbimus, sequenti anno perfectam. Editio typis constat rabbinicis hispanicae vel orientalis inflexionis, quos male rotundiores idem Wolfius vocat, incipitque versa folii pagina a Nachmanidis praefatione, praemisso superius titulo חדושי התורה לרב רבינו משה בר נחמן תנצבה *Novae observationes in legem doctoris nostri R. Mosis filii Nachman. Sit anima ejus colligata in fasciculo viventium*, ac circumposito ornatu quodam varia animalium genera referente. Binarum dictionum ספר בראשית, quae Commentario initium faciunt, prior majusculis ornatis litteris elegantibus totidem ligneis tabulis insculptis exhibetur, quae et sub initium Numerorum ac Deuteronomii occurrunt, altera majoribus quadratis hispanicis ac pulcherrimis, quibus reliquorum librorum ac sectionum tituli exprimuntur. Duplici autem constat columna ac duobus voluminibus, quorum primum Genesim et Exodum ac folia 152, secundum ceteros libros ac folia 148 complectitur, computato in secundi summa albo interposito, quod ipsum

a primo dividit; nam signaturae prioris in eo continuantur. Ad calcem Pentateuchi rythmica illa epigraphe extat, in qua laudat typographus gloriosum nomen Dei excelsi et tremendi, qui multitudine benignitatis suae adjuvit eum, ut perficeret scriptum hoc pretiosum et inaestimabile Mosis Nachmanidis, quem appellat מאור גולת ספרד *lumen captivitatis hispanicae*, ejusque verba יקרו מדר ומפז *pario lapide selectoque auro pretiosiora*, et quidem perficeret דפום נאה והגהה ישרה *perpulchra impressione ac recta correctione* mense av, qui julio nostro et augusto respondet, בשנת אר״חם ארת יהודה *anno miserebor Jehudae*, seu CCXLIX, Ulyssipone in marium litore aedificata in aedibus R. Tzorbà et Rabban Eliezeris, non R. Arbà, ut habet Wolfius, et ex Wolfio Marchandus p. 84, ex Marchando vero Maittairius T. V. p. 538, recte ex meo libello a Denisio emendatus in Supplem. tom. II pag. 793. Epigraphem consequitur prolixa auctoris nostri תפלה *Precatio* celeberrima super Jerusalem excidio ab eo recitata, quum ad sanctam hanc urbem accessit, ac postremo epistola, quam ex ea urbe ad filium misit. Atque haec de hac editione sufficiant, quam video etiam a Scabtaeo memorari in Scifiè jescenìm p. 11, non indicato tamen anno, cujusque praeter meum integerrimum elegantissimum aliud exemplum Romae conspexi in Angelica. Ac meum quidem eo pretiosius habendum est, quod antichristiana loca, in antiquis fere omnibus editionibus et exemplaribus studiose deleta vel abrasa, exhibet intacta, ea potissimum, quae contra Edom, Romam, ac Romanos leguntur in sectione Balàk.

XXVI

Tractatus talmudicus Niddà, seu Menstruatae cum Tosephòth, Commentario R. Salomonis Jarchì, et Piskè tosaphòth, in fol. sine loco, sed Soncini, an. CCXLIX min. supput., Christi MCCCCLXXXIX.

Ignotissima alia extremaeque raritatis editio, quam nos post Disquisitionem nostram De hebr. typ. origine e tenebris extraximus. Ea constat foliis 95, congruitque in omnibus adamussim cum editione tractatus Cholìn hujus anni, eadem Gemarae ac Commentariorum dispositio, iidem typi quadrati ac rabbinici, iisdem ornatis ac majusculis litteris exaratum primum vocabulum שמאי, idem omnino ligneus primae paginae ornatus, iidem editores et correctores. Ad calcem haec leguntur: אודה ה׳ בכל לבי וחסדיו לעולם אשירה ואזמרה לאלהי בעודי כל ימי חלדי אשר לא עזב חסדו מעמדי ובדרך אמת נחני ויאזרני חיל והרבה עצמה לאין אונים וזיכני להגידה אלו הב׳ מסכתות יקרות מפנינים אשר כל רואיהן להן יתאב ותשלם המלאכה היום כ״ה לחודש אב שנת גומ״ר לפ״ק הש׳ הגומר אומר לדור ודור יאיר נרנו ויגיה חשכנו בשנת כ״ר מצוה ותורה אור הבאה בטובה עלינו וישלח לנו בן דוד משיחנו יכנס נדחי ישראל ויבנה בנין אריאל ויוליכנו לקריה נאמנה כאמור ופדויי ה׳ ישובון ובאו ציון ברנה: „ Confitebor Domino in toto corde meo, et benignitates ejus in aeternum cantabo, et psallam Deo meo, quamdiu vixero, omnibus diebus vitae meae, qui non dereliquit mecum misericordiam suam, et in via veritatis deduxit me, et accinxit me fortitudine, ac

multiplicavit robur ei, cui non erant vires, dignumque me fecit corrigere hos duos tractatus margaritis pretiosiores, quos quicumque videt, ardenter eos appetit. Finitum porro est opus hodie die xxv mensis av anno *qui perficit*, seu ccxlix minoris supp. Dominus qui perficit id quod dicit, in generationem et generationem, illuminet lucernam nostram, et splendere faciat tenebras nostras anno *Lucerna* (seu ccl) *est praeceptum et lex lumen*, qui proxime venturus est in bonum super nos, mittatque nobis filium David Messiam nostrum, congreget depulsos Israel, aedificet aedificium templi, deducatque nos ad urbem fidelem, quemadmodum dictum est, et redempti Domini redibunt et venient ad Sion in canticò „.

Confundendus non est cum priori posterior hic annus, quo votum continetur toties a Judaeis iteratum ac toties frustratum, nec ulla unquam aetate adimplendum. Hisce verbis corrector, qui loquitur, qui est Mardochaeus Gallus filius R. Ruben, binarum linearum spatio interposito, alia subjecit, in quibus testatur fuisse quidem super se manum Domini in opere hoc divino, praestantissimo ac purgatissimo, sed praecipuam ejus laudem ac partem deberi doctissimo viro, cujus nomen sub initium utriusque tractatus Niddà et Cholìn est signatum, quem titulis et honoribus cumulat, qui exemplar correxit ac recte disposuit, se vero nonnisi ejus vestigiis institisse, ut impressas plagulas emendaret, ter legens et ab erroribus expurgans singulas columnas, antequam praelo submitterentur. Primus ille corrector, cujus nomen Mardochaeus reticet, est R. David filius R. Eliae Levitae, cujus praefatio legitur sub initium Cholìn a nobis superius relata, in qua et Mardochaeus noster tamquam in correctionis partem adscitus nominatur, addito ut familiae cognomine Basla, quod ad calcem hujus nostrae epigraphis exprimitur per איש באזלא vir Basla, vel Basileensis, vel etiam Bozoli, oppidi Soncino proximi, quum saepe etiam aleph pro vau cholem utantur Judaei. Patet autem ex posterioribus Mardochaei verbis Davidis praefationem etiam nostrae huic editioni esse praefixam, quam reapse prima signatura requirit, licet in nostro exemplari, hucusque unico, desideretur.

XXVII

R. Kalonymi filii Kalonymi Even bòchen seu lapis lydius, in 4. min. Neap. an. CCXLIX, Chr. MCCCCLXXXIX.

Quum Wolfius annum et locum nonnisi dorso Oppenheimeriani exempli manu notatum testaretur vol. III p. 970, ac frustra eos in exemplari ipso quaesivisse, ego quidem nullum revera haberi olim arbitratus sum De heb. typ. orig. pag. 69, ex Scabtaei etiam fide ac testimonio, qui editionem hanc memorat in Scifiè jescenìm pag. 1 sub sola דפוס ישן seu *antiquae editionis* designatione. Quum tamen, inquiebam, iisdem typis expressa sit, quibus expressus est Chovad allevavòth Neapoli editus anno 1490, non inanis et insolens habenda est ea loci et anni conjectura, quam Oppenheimeri exemplar referebat. At extat reapse in editione uterque, ut constat ex integerrimo exemplari, quod diu olim ac frustra quaesitum tandem col-

lectioni nostrae accessit. Ea incipit folio verso, praeposito titulo אבן בחן quadratis typis majoribus, charactere constat rabbinico, ac foliis 50, hancque ad calcem exhibet rythmicam epigraphem:

אבן בחן הנה נשלם
בו יבחן דרך עולם
כי הוא מרוב העם נעלם
בהיות לבם בריא אולם
אני רבי יום טוב צרפתי
בן מורינו רבי פרץ
שמתי עליו השגחתי
למען יפרץ בארץ
על יד יוסף אשכנזי
פה נאפולי ההוללה
בשנת טרם חזק עזי
צור אשר לו הגדולה
השלמתי בעת נורא
ימים לפני ראש השנה
כל הוגה בו ישיג אורה
ובימיו ימצא עדנה

„ Even bòchen en explicit
„ In quo exploratur via seculi,
„ Quoniam ipsa a plerisque est abscondita,
„ Quum cor eorum sit vere obesum.
„ Ego R. Jom Tov Gallus
„ Filius doctoris nostri R. Peretz
„ Posui super eum curam meam
„ Ut spargeretur in terra
„ Opera Josephi Aschenazì
„ Hic Neapoli, urbe celebratissima;
„ Anno CCXLIX confirmavit fortitudinem meam
„ Deus cujus est magnificentia,
„ Absolvi tempore terribili
„ Diebus videlicet qui praecedunt initium anni.
„ Omnis qui meditatur in illo, assequatur lumen
„ Diebusque suis inveniat delicias.

Epigraphi plagularum registrum subjicitur, quod primum in hac editione comparet, cujus bina alia prae manibus habuimus exempla, alterum quod deinde nos ipsi sumus consecuti, alterum quod extat in bibliotheca Collegii Romani.

XXVIII

R. David filii Josephi Avudrahàm Commentarius in ordinem precum totius anni in fol. Ulyssipone an. ab orbe condito V̄. CCL, Chr. MCCCCLXXXIX exeunte, vel ineunte MCCCCXC.

Pervulgatum quidem est opus quod absolutissimam judaicarum precum expositionem sistit, ab auctoris cognomine Avudrahàm communiter appellatum, ac multoties etiam editum. At vero princeps haec ac praeclarissima editio a bibliographis omnibus Christianis ac Judaeis ignorabatur, qui ut antiquiorem recensent CPolitanam anni 1514, nosque omnium primi, duobus detectis et adeptis exemplis, quorum alterum nitidissimum et magnificentissimum ad bibliothecam Cornelianam Patavinam pertinebat, illam descripsimus De heb. typ. orig. p. 56. Exarata est duplici columna linearum 34, et charactere hispano-rabbinico, sed sectionum, capitum, orationum initia quadrato majori hispanico ac pulcherrimo exhibentur. Idem uterque cum eo, quem in praecedenti Nachmanidis editione noster typographus usurpavit, idem quoque ornatus, qua prima pagina versa decoratur. Prima praefationis verba tituli veluti loco ab auctore praemissa litteris expressa quadratis, majuscula et ornata initialis, illudque singulare quod sub initium

dicitur auctor ben Avidrahàm. Paginae titulis supra insigniuntur, totumque opus foliis constat 170, duplici desinens rythmica epigraphe, altera 13 versuum ab auctore contexta, qua opus hoc suum Hispali anno ab orbe condito 5100 testatur composuisse, Chr. 1340, fusiori altera versuum 40 a correctore addita, quae cum editionem respiciat, integra a nobis subjicitur:

נברך שם כבוד נורא תהלות
שהוא סבה להתחיל כל תחלות
והוא קדמון ואין לו קץ ותכלה
והוא ראשון והוא נורא עלילות
והוא עוזר לכל עושי רצונו
והוא סומך ומקים כל נפילות
עזרנו ברוב עזר להשלים
כחפצנו פירוש סידור תפלות
אשר חיבר גדול דעה והשכל
אבודרהם בכנוי אב למעלות
בחיבור זה יפרש הדברים
כפי סדרם בעניינם סלולות
עשוי בדפוס כמו צלם אלהים
כהגהות ישרות גם מעולות
אשר נשלם ביום ברוא מאורות
גדול כח להאיר כל אפלות
והחדש לישראל לטובה
שמו טבת אשר ארוך בלילות
שנת רׄנׄה בשוב הׄאׄ אלפים
וצ׳ד׳ק׳נו באותיות מגולות
באשבונה בתוכה יש קהלה
לעיר ואם לכל ראשי קהלות
חכמים בה וגם ראשי ישיבות
וכל טובות בתוכם הם כלולות
בבית חסיד ירא אלהים וחכם
אליעזר שמו רב הפעולות
אשר עוזר למי יושב בצרה
ובו מדות בשם הטוב גלולות
ותאותו להרבות בספרים
אשר אין קץ למספרם בנילות
ללמדם לכל חפץ לקראם
להודות אל ובלבבם מסלות
ישלם אל שכר טובו ויושרו
וגם תמיד יקבל רוב גמולות
ובזכותו אזי נזכה גאולה
כמו זכו בראשית הגאולות
ואז נשיר בשיר חדש בבית אל
במו ספר וגם בכתב מגלות
י״גדל כס ויחיש קץ לגלות
לברך שם כבוד נורא תהלות

„ Benedicamus nomini glorioso terribilis laudibus,
„ Qui caussa est cur initium fiat cunctis initiis,
„ Et aeternus est, cuique nullus terminus ac finis,
„ Qui primus est et tremendus operibus,
„ Et adjuvat universos qui faciunt voluntatem ejus,
„ Et sustentat et erigit omnes lapsus.
„ Is adjuvit nos vehementi auxilio ut perficeremus
„ Juxta desiderium nostrum Commentarium ordinis precum,
„ Quem concinnavit vir insignis scientia et intelligentia,
„ Avudrahàm dictus, pater vel doctor excellens.
„ Hoc opere ipse explicat res
„ Juxta ordinem earum ac significatum planiorem.
„ Impressum est ut imago Dei, seu purissime
„ Correctionibus rectis ac praestantissimis,
„ Absolutumque die quo creavit luminaria
„ Qui potens est virtute ad illuminandas omnes tenebras,
„ Et mense qui Israeli est in bonum,
„ Nomine tèbeth, qui longus est noctibus,
„ Anno *cantici* (v̄. CCL) vertente v millenario,

„ Et *justitia nostra* (CCL) litteris apertis,
„ Ulyssipone, in cujus medio est synagoga
„ Urbis et mater praecipuarum omnium synagogarum,
„ In qua sunt sapientes ac proceres academiarum,
„ Qui benignitates omnes in sinu suo complectuntur,
„ In domo probi, timentis Deum ac sapientis
„ Eliezeris, viri operibus magni,
„ Qui adjuvat eum qui est in angustia,
„ Et in quo virtutes cum bono nomine conglomeratae,
„ Cujus desiderium est augere vel propagare libros,
„ Quorum numero non sit finis, vel infinitos, sibi similes,
„ Ut discamus in iis pro cujusque voto, eosque legamus,
„ Ac confiteamur Deo, sintque in corde vel interiori eorum viae agestae.
„ Retribuat Deus mercedem beneficentiae ejus et rectitudinis,
„ Suscipiatque jugiter multas retributiones
„ Et per meritum ejus tunc digni erimus redemptionibus,
„ Sicut meruerunt ab initio redimi,
„ Tuncque cantabimus canticum novum in templo Dei
„ Cum libro ac scriptura vel textu voluminum.
„ Magnificet solium acceleretque finem exilii,
„ Ut benedicamus nomini glorioso terribilis laudibus „.

Vocabulum רנה, quod aeram denotat, interpretatus sum olim de minori supputatione, ac propterea editionem ad annum 255 retuli, Chr. 1495. Sed re penitius et attentius nunc examinata, video majorem computum eo contineri ac postremum ה de 5 millenariis esse sumendum, et editionem ad annum orbis conditi 5250 esse referendam. Video enim ה֗ illud seorsim puncto insigniri, ut הה֗א quod subditur quodque rem omnem dirimit, subjici באותיות מגולות *apertis* vel *distinctis litteris* eandem aeram majoris supputationis, ac secunda hac priorem disertissime explicari. Quum autem mensis tebeth respondeat partim decembri nostro, partim januario novi anni, hinc absoluta dicenda est editio vel sub finem exeuntis anni Christ. 1489, vel sub initium novi anni 1490. Primum videtur verosimilius, quia judaicus ille mensis incidit eo anno quoad majorem sui partem in decembrem prioris anni.

MCCCCXC

XXIX

R. Mosis Nachmanidis Sàhar aghemùl, sive Sectio retributionis, in 4. min. Neapoli an. V̄. CCL ab orbe condito, Christi MCCCCXC.

Nactus sum jam et perraram hanc editionem, quam ex sola Wolfii fide olim retuleram. Ea continet reapse postremam sectionem libri Toràd adàm, quae agit de retributione post vitam hanc futura, incipit et ipsa folio verso, praefixo titulo שער הגמול להרמבן ז״ל, eodemque charactere rabbinico est exarata, quo praecedens Even bòchen. Foliis constat 34, hancque majoribus quadratis typis ad calcem sistit typo-

graphi notam : נשלם שער הגמול מתורת האדם חבור רבינו משה בר נחמן זל היום יום ראש חדש אדר ראשון שנת ה׳ אלפים ומאתים וחמשים לבריאת עולם פה נאפולי על יד יוסף גונצנהוזר אשכנזי יץ „ Explicit Sectio retributionis ex Toràd adàm, opus doctoris nostri Mosis filii Nachman fel. mem. hodie die 1 mensis adar primi an. quinquies millesimo ducentesimo quinquagesimo a creatione mundi hic Neapoli per manum Josephi Guntzenheuser Germani, quem Deus custodiat „. Postrema haec verba, quae typographi nomen complectuntur, minoribus typis rabbinicis subjecta sunt. Seligmannianum exemplar, olim Oppenheimeri, quod ipsissimum esse puto quod Wolfius viderat, minus accurate sub titulo שערי refertur in edito ejus bibliothecae Catalogo fol. 47.

XXX

R. Mosis Maimonidis Jad achazachà, seu Manus fortis, in fol. Soncini an. CCL, Christi MCCCCXC.

Soncinates quos hucusque vidimus paucorum annorum spatio celebratiora Judaeorum scripta edenda assumpsisse, celeberrimum hoc Maimonidis non omiserunt, quod purissimo hebraico idiomate absolutum Talmudis sistit compendium. Editionem hanc praestantissimam memorat Bartoloccius Bibl. rabb. tom. IV p. 101, qui et in praecedentibus fuse operis rationem explicat, ex Bartoloccio vero Wolfius, Orlandius, Maittairius, ac Chevillerius De originibus typogr., tamquam extantem in bibliotheca Sorbonae. Habeo jam integrum exemplar, ex quo accuratissimam hic ejus descriptionem suppeditem. Praecedit folio verso Gersonis Soncinatis praefatio, in qua narrat se a nationis magnatibus fuisse excitatum, ut divinum et inaestimabile hoc opus, quod cum auctore suo summis laudibus cumulabant, imprimeret, seque eorum votis obsecutum, delecto ad hoc accurato exemplari, quod spondet ac sperat, auxiliante Deo, se correctissime typis editurum. Praefationi praemisit octodecim versus, in quibus loquens introducitur invitantis, immo et clamantis vox, ut lumbos suos succingat, exurgat, et opus aggrediatur, cujus lectio unice potest fractam nationem erigere, in binis postremis versibus emisso consueto nationis voto ut ostendat Deus salutem et Messiam mittat, et initialibus litteris punctis supra notatis, ut mos est Judaeorum, indicato proprio nomine. Folio sequenti incipit opus a verbis כל המצות, litteris majusculis ornatis, quales ea aetate a Soncinatibus adhibebantur, quibus et primum cujuslibet primi capitis primae librorum constitutionis vocabulum plerumque est exaratum. Prior pagina conspiciendum praebet eum ornatum, qui angelum sistit lanceam in animalis os figentem, in ima vero parte binos alios hinc inde ad latera vacui stemmatis adstantes, in aliis editionibus adhibitum. Paginae binis constant columnis, columnae lineis 54, character quadratus minor luculentus, sed tituli librorum, constitutionum, capitum binis aliis sunt expressi, pariter quadratis, majori altero, altero intermedio. Tota editio foliis 367 absolvitur, et hac epigraphe: ותשלם כל המלאכה מלאכת ה׳ היא הי״ד החזקה אשר עשה משה לעיני ישראל ותהי השלמתה בי״ו ר״ח ניסן שנת נ״ר מצוה ותורה פה

שונצי"נו אשר במדינת לומברדיאה תחת ממשלת האדון דוכוס מילאנו ירה . שבח והודיה לאל נאום הצעיר המגיה אליעזר ברבי שמואל זצ"ל . „ Finitum est autem universum opus, opus divinum, scilicet Jad achazachà seu Manus valida, quam fecit Moses in conspectu Israel, fuitque complementum ejus die XVI primi mensis nissàn (martii) anno *Lucerna* (CCL) *est praeceptum et lex*, hic Soncini quod est in provincia Lombardiae sub ditione domini ducis Mediolani, cujus majestas decusque extollatur. Laus sit et confessio Deo, dicit minimus corrector Eliezer filius R. Samuelis, memoria justi sit in benedictione „. Auget autem perrarae nostrae editionis pretium crebra lectionis varietas ac Maimonidei textus integritas in iis locis, quae Jesum nostrum vel Christianos, vel etiam Mahometem ac Turcas respiciunt. Sic celeberrimus locus cap. XI tractatus postremi Melachìm seu de Regibus, qui de Jesu Nazareno agit, integer hic extat, quamquam in meo exemplari a censoribus abrasus. Infra tamen ubi in mss. codicibus legitur וכל הדברים אלו של ישו הנוצרי ושל זה הישמעלי שעמד אחריו „ Cunctae autem hae res Jesu Nazareni et hujus Ismaelitae qui post illum extitit „ Jesu nostri nomen sanctissimum ut et alterum Ismaelitae seu Mahometis, caute omittit nostra editio cum reliquis omnibus, unica excepta CPolitana anni 1509, in qua posterius Ismaelitae nomen retentum est. Quod miror summopere factum esse in ea urbe Mahomedici imperii principe. Integerrimum ac pleniorem Maimonidis textum, qualis reperitur in ms. nostro codice 626, vide ad hunc codicem, et confer, si lubet, quae de eo Peringerus, Wagenseilius, Wulferus ac Pocokius in notis ad Portam Mosis observant.

XXXI

R. Mosis Nachmanidis Commentarius in Pentateuchum, in fol. min. sine loco, sed Neapoli, an. CCL, Christi MCCCCXC.

Editionem hanc recensens Wolfius tom. III p. 796, falso eam asserit in 4. elaboratam, pejusque conjicit tom. IV p. 921 eandem esse cum Ulyssiponensi anni 1489 superius allata, a qua toto caelo differt. In Ulyssiponensi annus est ארח"ם seu 249, in hac נ"ר 250. Prior exarata est charactere rabbinico hispano et orientali, posterior italico communi, illa duabus columnis, haec integra pagina, illa in Lusitania et Ulyssipone, haec absque loco, sed certe in Italia et Neapoli. Versa folii pagina quae opus inchoat, libri titulum quadratis litteris auctorisque praefationem rabbinicis cum ligneo quodam ornatu exhibet, qui superiori parte et ad dexteram angelum cum leone pugnantem, inferiori vero duos alios angelos ad vacui stemmatis seu sigilli latera insidentes repraesentat. Idem ornatus est in editione Neapolitana Libri radicum anni sequentis, iidem typi rabbinici textus cum iis qui hucusque adhibiti sunt in Neapolitanis editionibus, iidem quadrati majores, quibus exprimuntur sectionum ac librorum tituli, eadem lignea tabula, qua ornatur exordium primae sectionis Berescith, cum ea quae extat in Neapolitana editione Commentarii Aben Ezrae, unde dubitari nequit, quin

Neapoli etiam nostra haec lucem adspexerit. Paginae sunt integrae, habentque supra titulos sectionum, infra signaturas. Folia continet 243, sistitque ad calcem fusam illam Nachmanidis precationem super sanctae urbis excidio, praefationem Deuteronomii, ac praeterea sequentem epigraphem: רבות בנות עשו חיל לבי לחוקקי ישראל המתנדבים בעם מושכי׳ בשבט סופר כי שם חלקת מחוקק ספון טמוני אומני הדפוס להרביץ תורה וחכמה בישראל כי מלאה הארץ דעה . ואשר ידברו תועה על המלאכה הזאת ישאו עונם . וכל המחזיק ידיהם על העליונה וכל הספרים אשר נתיסדו בחקוק ראוים לשבחם ולפארם . אמנם הספר הקדש הזה עלה על כולנה ביופי ובדקדוק גדול כי הספרים אשר הועתקו מהם בדפוס היו מדוקי׳ על פי חכמי מיסינה וגם מאחד מחכמי הספרדי׳ ובזאת יבחנו דברי בקריאת זה הספר אשר ירוץ הקורא בו ולא יכשל בקריאתו מפני טעות הספר ומכף רגל ועד ראש אין מום כלה יפה רעיתי ומום אין בה אשרי המחכה ויגיע להלין ספר הזה בתוך ביתו כי שם מצאה יונה כנסת ישראל מנוח לכף רגלה ושם ינוחו יגיעי כח חלושי האמונה . ועלינו לשבח לאדון הכל אשר זכנו להשלים בספר הנורא הזה אין זה כי אם בית אלדים וזה שער השמים ותשלם המלאכה ערוכה בכל מעלה לרום ולתהלה ביו׳ ששי שלשה עשר יום לחדש תמוז שנת נר לרגלי דברך ושלו׳ על ישראל „ Multae filiae operatae sunt virtutem. Cor meum ad typographos Israelis qui munificos se praebent cum populo, trahentes virgam scriptoriam, quoniam in hoc impressoris portio est recondita, reconditi thesauri artificum typographiae, quod dilatent legem et sapientiam in Israel et repleatur terra cognitione. Qui vero loquuntur falsitatem contra artem hanc, portabunt iniquitatem suam, et omnis qui corroborat manus eorum, manus illorum sunt contra excelsum. Atque omnes quidem libri qui fiunt ope typographiae, digni sunt qui laudentur ac celebrentur. At vero liber hic sanctus reliquos omnes pulchritudine et eximia correctione antecedit, quia codices, ex quibus typis descriptus est, accurate correcti sunt per sapientes Messinae, et per unum etiam ex sapientibus hispanis. In quo confirmabuntur verba mea lectione ipsius libri, quem percurrere potest lector, quin in ejus lectione coespitet, ob libri menda, quum a planta pedis usque ad verticem nullus sit in eo defectus. Tota pulchra est amica mea, et macula non est in ea. Beatus qui expectat et laborat, ut diversari faciat librum hunc in medio domus suae, quoniam hic inveniet columba synagoga Israelis requiem plantae pedis sui, ibique quiescent defatigati robore vel virtute, infirmi fide. Nobis sane incumbit laudare Dominum omnium rerum qui dignos nos fecit, ut absolveremus librum istum tremendum. Non est hic nisi domus Dei, et haec porta caeli. Finitum est autem opus, omni excellentia instructum ad celsitudinem vel gloriam et laudem, feria VI die XIII mensis tamuz anno *Lucerna* (CCL) *est pedibus meis verbum tuum*. Pax sit super Israel „. Jam vero editio haec refert et ipsa, ut altera 1489, integrum Nachmanidis contextum quoad ea loca, quae Edom, Romam, Romanos exscindendos respiciunt, praesertim in sectione בלק, quamquam in nonnullis locis Romae nomen, quod in Ulyssiponensi legitur, nostra suppresserit, relicto spatiolo, ut si opus

sit, a benigno lectore suppleatur. Praeter bina exempla quae in manus nostras devenerunt, et Seligmannianum, olim Oppenheimeri, quod Wolfius conspexerat, quartum vidi in bibliotheca Collegii Romani.

XXXII

Pentateuchus sine punctis cum Chaldaica Onkelosi Paraphrasi et Commentario R. Salomonis Jarchì in fol. min. באישאר *in Iscàr vel Iscòr an. CCL, Chr. MCCCCXC.*

In folio quidem minori, non in 4., ut scribunt le Longius, Orlaudius, Wolfius ac Maitrairius. Ita porro comparata est rarissima haec editio, ut in medio quadrato charactere, hispanicae et mediae formae, sacer textus exhibeatur, hinc inde vero minoribus quadratis typis Chaldaica Paraphrasis, et typis hispano-rabbinicis Isaacidis Commentarius. Ubi integrae extant columnae, sacer textus occupat lineas 35 ac totidem Jarchius, Onkelosus vero 58. Primae cujuslibet libri ac Decalogi litterae sunt majusculae et ornatae, subque eorumdem librorum finem ligneus quidam ornatus plerumque conspicitur, qui leonem et equum veluti inter se pugnantes repraesentat. Quadrato etiam ornatu vel corona clauditur versuum summa sub finem Levitici ac Numerorum, in Jarchiano vero Commentario sectionum exordia majoribus typis quadratis hispanicis et elegantissimis distinguuntur. Totum volumen 264 folia impressa complectitur, sed ad complementum primae signaturae aliud folium vel album, vel quod titulum praeseferat libri Geneseos Jarchii Commentario praefixum, debet praecedere, quod in utroque exemplari, quod nos nacti sumus, desideratur, et deest etiam in Casanatensi. Ad calcem penultimi folii, quo Pentateuchus explicit, legitur

תם ונשלם . תהלה לאל בורא עולם.
ברוך רחמנא דסייען . מריש ועד כען .

„ Finitus est et absolutus, laus Deo creatori seculi.

„ Benedictus misericors qui adjuvit nos a principio usque nunc.

Tria deinde folio separato subjiciuntur carmina, omnia acrostica. Initiales primi dant nomen Salomonis, secundi Salomonis Zalmathi, tertii Abrahami filii Isaaci filii Davidis. Primum illud nomen ejus est, qui editionem suis sumptibus procuravit, ac bina priora carmina composuit, quorum alterum octo versibus constat, alterum duodecim, sub cujus finem aeram ac proprium nomen uberius prodidit.

כשלמה ונגמר׳ זאת הכתיב׳
שנת קומי או״רי כ״י ב״א
נאם השמח בפזיר ממונו . ונע ונד ממקומו
בעבודת קונו שלמה ב״ר מימון ז״ל זלמאטי.

„ Absoluta est et completa isthaec editio
„ Anno *Surge lux mea, quoniam venit*, seu CCL.

„ Inquit laetans in effusione pecuniae suae, et profugus et aberrans a loco suo ob religionem Dei possessoris sui Salomon filius R. Maimon fel. mem. Zalmathi „. Posterius nomen est correctoris qui 32 versibus librum laudavit, quorum intermedii iterum annum continent, ac praeterea mensem et locum.

ראו ספר ואין כופר למופתיו
איה סופר אשר יכתב כתומו
יסודותיו וחלקיו שלשה
כתרים הם אשר בהם מרומו

צרור תורה ואנקלוס מתרגם
והחכם אשר משרה בשכמו
חנו בו המישרים ביושר
חומש תרגום ורבינו שלמה
קחו חותם אשר נכתב ונחתם
שנתו נ"ר בחדש אב ובשמו
בעת רצון שלמותו באישאר
יהי ברוך לאל עליון מקומו

„ Librum inspicite, cujus nemo est qui neget prodigia.
„ Ubi est scriba qui scribat secundum perfectionem ejus?
„ Fundamenta ejus ac partes tres,
„ Totidem eae sunt coronae, quae illum extollunt,
„ Fasciculus legis et Onkelosi interpretis,
„ Et sapientis, qui principatum humero tenet.
„ Benigne excipite ac recte quae eo continentur aequitates,
„ Pentateuchum, Targum et R. Salomonem.
„ Suscipite signum, quo descriptus est et obsignatus,
„ Annus ejus *Lucerna* (CCL) mense av, et secundum nomen ejus
„ Tempore opportuno vel beneplacito contigit complementum ejus in Iscàr, vel Iscòr.
„ Benedictus sit Deo altissimo locus ejus.

Ideo autem dicitur annus ille annus ejus, quia indicatur per verbum נר *nèr*, quod lumen denotat, sacroque huic volumini apposite congruit, quod hominum mentes illustrat. Quod de nomine etiam mensis av, qui julio et augusto respondet, dicendum est, quod patrem ac rectorem significat, cujus officio apprime fungitur liber divinae Legis.

Ad locum ipsum quod attinet, neglexit le Longius ac post le Longium Maittairius, auctores Catalogi bibliothecae publicae Parisiensis, Wolfius aliique illud באישאר, quod proculdubio quid sibi vellet, ipsi haud intelligebant, unde et editionem hanc statuerunt absque ulla loci indicatione perfectam. Ast doctissimus Fabricy recte animadvertit locum ea designari, quem sine haesitatione constituit esse insulam Sorae, quae in Neapolitano regno extat, tom. II *Des titres primitifs* p. 389. Cui interpretationi illud in primis obstat quod Neapolitana illa Sorae urbs nonnisi improprie insulae nomine donari queat, nec ullibi, quod sciam, eo donetur ab Hebraeorum scriptoribus. Adde illam aliter prorsus apud eosdem scribi, scilicet סורה vel סורא, ut constat ex epigraphe Pisaurensis posteriorum Prophetarum editionis anni 1516, et ex titulo Nachmanidis Commentarii in Pentateuchum anni 1514, qui apud me extant. Nec tandem in nostri Pentateuchi epigraphe seorsim legitur באי שאר, ut ea insulae significatio quaeri hic jure possit, sed conjunctissime unoque plane verbo באישאר, idque tum in hac editione, tum in alia Jorè dehà anni 1487, ut nullum hic typographicum mendum suspicari queat. Quid de litterarum ornamentis ac characterum forma, ejus praesertim quo exaratus est Jarchianus Commentarius? Haec suadent in Lusitania quaerendum esse editionis locum ubi constat illud ornamentorum ac characterum genus fuisse adhibitum, non in Neapolitana aut ulla alia Italiae provincia, ubi ex editionibus quae supersunt, patet alios ornatus aliosque

characteres viguisse. Etenim rabbinici typi qui in hac editione et in aliis in eadem urbe procuratis usurpantur, non modo hispanicae inflexionis sunt, quales in Lusitania adhibebantur, sed et plane iidem cum iis qui in Lusitanis editionibus conspiciuntur, idem quadratus major elegantissimus, eaedem majusculae et ornatae litterae, eaedem ligneae tabulae, quibus condecorantur, eadem denique charta et ejus signum. Itaque si legendum est Sor, quare potius Sorae in Italia editum putemus librum, quam in urbe Soriae in Hispania, aut in alia *Soure*, vel Saurii in Lusitania, ubi editum revera tota editionis ratio demonstrat? Non longe enim haec urbs a Leiria distat, ubi hebraica alia typographia erat erecta. Quod si cuipiam ob binas quae praecedunt litteras id non arridet, et aliquis extat intra Lusitaniae vel Hispaniae fines locus, qui pro varia lectione nominis אישאר punctis destituti Iscàr, Iscòr, Aiscàr, Aiscòr, Escàr, Escòr, vel etiam Liscàr, Liscòr appelletur (nam et Ulyssipo utroque modo ab Hebraeis scribitur Isbona et Lisbona), is ut verosimilior priori illi poterit anteponi.

Quamvis porro in Lusitania et ex hispanicis codicibus facta sit editio, habet tamen uterque textus, sacer ac targumicus, quamplures varias lectiones, inter quas rariores ac singulares occurrunt, atque animadversione dignissimum est, quod unica ea sit ex omnibus editionibus, quae Gen. XLVII 3 servet pluralem lectionem רעי *pastores*, quam exhibent multi mss. codices Kennicottiani ac nostri, Samaritanus textus et versiones omnes antiquae, ac syntaxis analogia postulat. Unica est etiam editio, quamquam in minoris momenti lectionibus, Exodi VIII 9 et Deut. XXVIII 20, ac fere unica seu cum solo consentiens Pentateucho in 4. sine anno et loco, qui in Iscàr et ipse editus est, Gen. XXIX 32 et Num. VI 21. Eadem in Rasciano textu lectionis varietas. In recentioribus editionibus ad Cap. VIII Exodi habet is שמכת בכורות *quod plaga primogenitorum*. Quam lectionem etsi eam defendat Elias Misrachì, exhibeantque nonnulli nostri codices, et ex antiquioribus editionibus, quae apud nos extant, Regiensis omnium princeps anni 1475, antiqua sine anno et loco, Bononiensis 1482, Soncinensis 1487, Thessalonicensis 1515, et CPolitana an. 1522, mendosam tamen esse contextus ipse arguit. Editio nostra cum Ulyssiponensi 1491 aliisque nostris codicibus rectius שמכת בצורת *quod plaga siccitatis*. Sic et loca non pauca nobis adversantia, quae in hodierno Jarchii textu sunt omissa vel mutata, hic servantur intacta. Quamquam autem Pentateuchus hic sit Bononiensi et Ulyssiponensi rarior, ut animadvertimus tum in Apparatu hebraeo-biblico, tum in Clavi editorum codicum Variis Lectionibus praefixa, bina tamen integra ejus exempla obtinuimus, quorum alterum usui nostro reservavimus, alterum Mosi Foà Regiensi bibliopolae concessimus. Extat etiam in bibliotheca publica Parisiensi, in Casanatensi, olim vero apud cl. Assemani Apameae Archiepiscopum ac primarium Vaticanae custodem, cujus libros modo in Vaticanam ipsam inlatos opinor. Ac priora quidem exemplaria chartacea sunt, sed bina postrema membranacea.

XXXIII

R. David Kimchì Liber Scarascìm seu Hebraicarum radicum, in fol. Neapoli an. CCL, *Christi* MCCCCXC.

Binae praestantes ac perrarae celebratissimi hujus Kimchiani Lexici hebraeo-biblici, ex quo reliqua fere omnia sive Hebraeorum, sive Christianorum lexica hausta sunt, duobus sibi statim succedentibus annis in eadem Neapolitana urbe prodierunt editiones inter se diversae, quae apud me extant. Prior haec anni CCL integra pagina conflata est ac triplici characterum genere. Initium praefationis ac singulae radices charactere expressae sunt quadrato majori, minori textus editionis, rabbinico ad marginem Bibliorum libri vel loca, unde desumuntur exempla. Meum exemplar incipit a praefatione, sed ex signatura quae ad calcem apponitur, patet folium aliud debere praecedere vel album, vel quod titulum contineat. Quo computato editionis folia sunt 144. Horum postremo quaedam occurrit correctoris R. Latef admonitio vel nota, in qua lectores monet se reperisse in hoc libro dum ejus correctioni vacabat sacros nonnullos versus a Kimchio productos, qui nullibi reperiuntur in sacra Scriptura. Sunt autem ii sequentes
ובנה עליה קו תוהו . נושעים בה׳ אלדיכם . מוכנים בית ה׳ . ונכלותיך אגלה . ויהיו תואמים מלמעלה . בין ריב לריב . ויעמידם לפני פרעה . הזכרים לבד מיטף . ותשחדו שחדו .
Quibus subjectis haec subdit Latefius:
ויען כי כן מצאתים בכל הספרים אשר היו לפני לא שמתי השגחתי לתקנם . אך שמתים הנה בסוף הספר למזכרת למעינים למען ידעו כי מאתי לא יצאה זאת . כי האמנם ביתר ההגהה אחשוב כי אמץ ה׳ וחזק זרועותי עד אשר הבאתיו לתכלות טוב והגון וכל קורא בו ידע ויבין ממוצא דבר כי כן הוא . נאם הצעיר שמואל בכמ׳ מאיר לטיף ישרו פה נאפולי בירה אלול ר״נ לפ״ק
„ Quoniam vero sic eos reperi in cunctis codicibus quos ob oculos habebam, non studui eos emendare. Tantummodo eos posui hic ad calcem libri in memoriam, vel ad mentionem perscrutatoribus, ut sciant a me id non processisse. Etenim profecto in reliquorum correctione arbitror Deum adeo brachia mea corroborasse ac confirmasse, ut eum ad optimam perfectionem ac correctionem perduxerim. Quod ita se habere capto experimento lectores omnes dignoscent et intelligent. Inquit minimus Samuel fil. R. Meir Latef, quem Deus custodiat, hic Neapoli mense ellul an. CCL minoris supputationis „.

Hanc Latefii notam hosque scripturarum versus aliter a Kimchio prolatos, quam in textu legantur hodierno, jam dudum observarunt docti, Marcus Marinus omnium primus in praefatione ad Arcam Noe, Claudius Capellanus in Mari rabbinico infido parte I cap. VI, atque ut alios taceam, Wolfius tum in Bibliotheca heb. tom. I pag. 307, tum in Historiâ lexic. hebr. p. 43. Integram etiam epigraphem hebraice ac latine proferunt bini priores auctores, sed quoad hebraica verba, saltem ut extant in Capellani libro in fasciculo X Opusculorum ad Historiam ac Philologiam sacram spectantium recuso pag. 306, valde mendosam, in nonnullis male versam, ac praeterea biblicis locis a Kimchio confusis interpolatam, quae in Latefii textu desunt, et ex ms. aliquo codi-

ce vel alio libro videntur a Marino addita. Perperam autem ex hac epigraphe concludit Capellanus p. 308. „ Samuelem non ausum quidem ea de medio tollere penitus in editione illa Neapolitana, sed ad calcem libri rejecisse, ne sustulisse videretur, Judaeos vero alios qui adornarunt alias editiones aut illis praefuerunt, non dubitasse ea non tantum de textu, sed etiam e toto libro prorsus ejicere, ita ut hodie non compareant amplius in impressis, quamvis in omnibus exemplaribus manuscriptis ex testimonio illius Samuelis reperiantur „. Nam hos versus etiam in textu aperte legit Neapolitana nostra editio, nec ea sola, sed aliae non paucae, ut antiqua sine an. et loco, Neapol. altera an. 1491, CPolitana 1513, ac Thessalonicen. Gersonis Soncinatis, quae omnes apud nos extant. Ex antiquis his editionibus quae Venetas praecesserunt, nulla ob mss. codicum consensum eos versus e textu rejicit. Sola Thessalonicensis, quam doctissimi equitis abbatis de Calusio humanitati et amicitiae debemus, adnotat ad marginem לא נמצא *Non reperitur*. In iis sane referendis non modo mss. omnes codices Latefii, vel qui ejus oculis obversabantur, consentiebant, sed et omnes, quos e Gallia, Hispania, Germania, Italia ad se fuisse delatos ad calcem testatur Thessalonicensis editor, nec Sorbonicus solus, quem producit Capellanus, sed et nostri omnes, numero quidem non pauci, quos contulimus, consentiunt, quamvis sint inter ipsos, qui hanc lacunam animadvertant. Sic cod. meus 791 ad quosdam ex iis versibus vel supra vel ad marginem adnotat איננו פסוק *Non est textus biblicus*, vel de sacro textu. Quod profecto ostendit non primum nec solum fuisse Latefium, ut hucusque creditum est, qui illos versus detexerit ac produxerit, sed jam dudum ante ipsum a sacris criticis fuisse animadversos. Singuli etiam ex antiqua manu vel scribae ipsius, vel coaeva annotati reperiuntur sub initium codicis mei 511, qui ineditum sistit grammaticum R. Josephi Sark opus רב פעלים, et quidem cum suis radicibus ac sacris locis, cum quibus ii videntur confusi, ac uno praeterea versu qui in nostra epigraphe omittitur, ita ut ex ea perperam conjiciantur descripti.

Consensus porro mss. codicum sat superque demonstrat non posse aut deberi confusionem hanc amanuensium negligentiae, sed ipsius Kimchii oblivioni ac memoriae lapsui attribui, qui mirum non est, quod multa sacrorum textuum millia ac saepe mente in hoc libro proferens, in paucis coespitaverit, quum id summis quibuslibet ac doctioribus viris videamus accidere. Male ergo hisce versibus ac nostrae hujus editionis epigraphe abutitur Capellanus, ut sacrum textum corruptionis, Judaeosque malae fidei accuset. Vidimus autem eam epigraphem vel Latefii verba ad calcem editionis reperiri, idque aperte et accurate Marinus et Capellanus animadverterant. Nescio ergo cur scripserit Wolfius in utroque opere superius allato, aut unde didicerit ea haberi in praefatione, vel prooemio, quod operi praefixit? Vidimus ob codicum consensionem eos versus immutatos Latefium reliquisse. Cur ergo iterum subdit Wolfius in Historia le-

xic. hebr. illum „ omnes illos locos, quos aliter lectos a Kimchio animadverterit, ad masoram emendasse „? Nota tandem male a Scabtaeo in Seiftè jescenìm num. 212 fol. 81 nostram editionem Venetam dici, nec recte a Buxtorfio Biblioth. rabbin. pag. 198 edit. Herbonensis, a Wolfio Hist. lex. p. 42, et a Dathe De difficultate rei crit. pag. 26, eam vocari primariam. Praecessit enim altera litteris quadratis sine anno et loco, quam idem Wolfius ex Bartoloccio memorat, sed eandem esse cum Neapolitana nostra vel Thessalonicensi perperam suspicatur in Bibliotheca hebr. loco superius commemorato. Quae Christianorum expositioni cursim opponit Kimchius, servat quidem editio, sed ad radicem עלם, ubi notat patrem suum rationes כנגד הנוצרים *adversus Christianos* produxisse in libro Berith quem composuit ut responderet eis על האמונה *super religione*, utrumque Christianorum ac religionis vocabulum caute omisit editor, relicta lacuna vel spatiolo, quod ostendit quidpiam illic deesse. Atque haec de nostra hac editione sufficiant, quam extare etiam in bibliotheca Seligmanni monet ejus Catalogus fol. 48.

XXXIV

R. Bechai filii Josephi Chovàd allevavòth, seu Debitum cordium, in 4. min. Neapoli an. CCL, Chr. MCCCCXC.

Celebratissimus apud Judaeos liber, de moralibus agens hominis virtutibus, ab auctore arabice primum compositus, sed a R. Jehuda Abben Tibbòn hebraice translatus. Hanc Tibbonidis translationem sistit nostra haec primaria editio, cujus antea nullum, deinceps vero duo integra invenimus exempla. Itaque paullo uberius eam describemus, quam olim ex Wolfio fecerimus, qui in Oppenheimeri bibliotheca viderat ac brevissime describit tom. III Biblioth. hebr. p. 143. Ea incipit folio verso ab auctoris praefatione, cujus prima vox ut et reliquae singulorum capitum, exaratae sunt majori ac quadrato charactere. Sed textus operis et tituli paginarum typis expressi sunt rabbinicis, et iisdem omnino, quos in praecedentibus editionibus Josephus Aschenazì adhibuit. Habet signaturas, custodes, et folia 132, numerato albo quod extat ad calcem. Clauditur liber viginti versibus, qui sectionum omnium summam continent, initialibus vero litteris auctoris nomen, ac sequenti typographi nota: אני יוסף האשכנזי אחי המעתיקים אשר העתיקו וחקקו בדפוס׳ ספרים ישרים דברים עתיקים. העתקתי זה הספר הניתן אמרי שפר במצוות הובירת הלבבות נתן לנו חקים ומשפטים צדיקים. מדע מעלתו ותהלתו ותפארת גדולתו קל לכל רואהו וקרוב לכל אשר יקראהו. באמת ובאמונה. עד שיגיע למדרגה העליונה. להשיג ממנו דעת חכמה ובינה. והחזיק על ידי המגיהו אשר הגיה השכי ויתן תמי׳ דרכי החב׳ ר׳ שלמ׳ בן מהרר׳ פרץ אשר נודע שמו בכל הארץ. כי בהגהותיו אין יוצאת ואין פרץ. בשנת נר׳ היה נר׳ דברו לרגלי. באור חנכה ה׳ אור לי ברוך העזר והמאזר חילי והוא יזכנו אנחנו וכל הקוראים בספר הזה לחזות בנועם ה׳ במהרה ביום הגדיל השם את כבוד שמו ופדה ה׳ את עמו אמן „ Ego Joseph Aschenazì seu Germanus frater descriptorum, qui exscribunt et imprimunt typographiae ope rectos libros et verba antiqua, exscripsi librum hunc qui dat eloquia elegantiae super praeceptis quae obligant cordia, et praebet nobis

statuta et judicia justa, cujus excellentiae, laudis et eximii decoris notitia levis vel exigua est omni qui eum videt, sed proxime vel penitius perspecta ei qui illum leget in veritate et fide, donec pertingat ad gradum excelsum, et consequatur ex eo cognitionem sapientiae et intelligentiae. Roboravit autem manus meas corrector, qui illuminavit tenebras meas ac perfectam reddidit viam meam, chavèr R. Salomon filius cl. R. Peretz, cujus nomen notum est vel celebre in universa terra, quoniam in correctionibus ejus nulla est exceptio, nullusque hiatus. Anno *lucerna* seu CCL, „ fuit *lucerna* verbum ejus pedibus meis „. In lumine gratiae tuae, Domine, lumen est mihi! Benedictus qui adjuvat, et accingit me virtute, et ipse dignos nos faciat, nos et omnes qui legunt hunc librum, ut videamus amoenitatem Domini, et diem, quo magnificabit Deus gloriam nominis sui, et redimet Dominus populum suum amen „.

XXXV

Psalterium, *Job et Proverbia*, *in* 4. *min. Neapoli anno CCLI, Christi MCCCCXC*.

Ignotissimam hanc editionem a nobis paucis abhinc annis erutam descripsimus in indice addendorum editorum codicum volumini III Variarum Lectionum praefixo p. VII, ubi et monuimus ad eam pertinere fragmentum illud Jobi antea a me repertum, quod breviter recensueram in libello De ignotis antiquissimis sacri textus editionibus pag. 12 et in Var. Lect. tom. I p. CLI. Incipit pagina versa a I Psalmo sine titulo, cujus vicem gerit vocabulum אשרי majoribus litteris excusum. Ligneus in hac pagina ornatus textum circumdat, ramusculis ac floribus contextus, qui angelum sagittam adversus pavonem, qui ex altera parte stat, vibrantem, infra vero binos alios hinc inde vacuum stemma custodientes exprimit, et in libro etiam Agur Neapoli edito conspicitur. Typi sunt quadrati hispanici nec ineleganres, sed tantisper rudes, cum punctis et accentibus, iidem cum iis, quibus excusus est Pentateuchus Neap. an. 1491 et Biblia antiqua sine anno et loco. Patet hinc Agiographa haec a Soncinatibus edita et quidem a Josua Salomone, ut ad eum Pentateuchum ostendimus. Nulli numeri, signaturae, custodes, sed Psalmi in V libros dividuntur, et numerantur, primo quidem et usque ad Ps. XII majoribus litteris, deinde textualibus. Quidam in hemistichia divisi, ineffabile nomen יהוה per siglam trium jodin exaratum, Kerì in textu plerumque retentum, qui et a Psalterio altero Neapolitano anni 1487 et a Bibliis ipsis antiquis sine anno dissidet. Ad calcem Psalterii iisdem sacri textus litteris legitur נשלמה המלאכה הנעימה פה נאפולי יום ראשון כט לחדש כסליו שנת לולי יי׳ שהיה לנו יאמר נא ישראל בפרשת לשום לכם שארית בארץ ולהחיות לכם לפליטה גדולה „ Absolutum opus perpulchrum hic Neapoli feria I die XXIX mensis chislev anno *Nisi Dominus fuisset nobiscum*, *dicat* (CCLI) *nunc Israel* (Psal. CXXIV I), recurrente sectione legis; *ut ponat vos residuum in terra*, seu superstites, *et vivificet vos in evasionem magnam* „ Gen. XLV 7. Dies illa mensis chislev incidit in decem-

brem anni nostri exeuntis 1490 ad quem propterea annum, non, ut antea fecimus, ad 1491, transferenda est editio. Sequitur elenchus Psalmorum. Librum Psalmorum, qui cum epigraphe claudatur, elencho et pagina alba, seorsim vel primum videtur editus, excipiunt Job et Proverbia absque ullo titulo, ornatu et epigraphe, immo nec adhibitis quidem in binis initialibus horum librorum vocabulis, quae in fronte collocantur, ullis majoribus elementis. Tres libri foliis constant 123, quorum 74 occupant Psalmi, 26 Jobus, 23 Proverbia, tantaeque raritatis est editio, ut nonnisi hoc unicum nostrum hucusque notum sit exemplar, quod quum statim post editionem, ut constat ex arabicis numeris vel latinis litteris alicubi antiqua xv seculi manu insertis, a Christianis fuerit acquisitum et in eorum manibus servatum, integerrimum et elegantissimum ad nos pervenit. Sed haec sors nonnisi perpaucis libris et exemplaribus contigit.

MCCCCXCI

XXXVI

R. David Kimchi Liber Scarascìm seu Radicum, in fol. min. Neapoli an. V. CCLI ab O. C., Chr. MCCCCXCI.

Editionem hanc a Neapolitana alia anni 1490 diversissimam esse supra animadvertimus, et ex descriptione ipsa manifeste intelligitur. Incipit haec altera folii pagina eo prorsus ornatu circumsepta, qui extat sub initium Commentarii Nachmanidis anni 1490. Titulus qui praefationi praefigitur, et initialia hujus vocabula typis excusa sunt quadratis majoribus, ut et singulae radices, minoribus earum expositio ac textus, rabbinicis libri ac sectiones, unde loca desumuntur, non ad marginem, ut in priori fit, sed in contextum ipsum insertae. Paginae duplici constant columna, ac columnae lineis 45, integra vero editio foliis 168. Explicit rythmica epigraphe, qua typographus exposita libri et editionis praestantia, cunctos ad ejus acquisitionem invitat, subjiciens soluta oratione se eum duplici columna appositisque singulis suo loco Biblicorum versuum testimoniis et indicibus edidisse tum ad majorem ejus elegantiam, tum ad commodiorem legentium usum. Dein dicuntur hae Radices נשלמו פה העיר נאפולי ביום חמישי ראש חדש אדר שנת חמשת אלפים ומאתים וחמשים ואחד ליצירה. „ Absolutae hic in urbe Neapoli feria v die 1 mensis adar (febr.) anno ab orbe condito quinquies millesimo ducentesimo quinquagesimo primo „. Sequitur unius folii appendix, qua ad libri perfectionem supplentur binae columnae in radice daleth oscitantur omissae. Ex foliorum summa patet Mediceum exemplar ad hanc editionem referri non posse, ut putat Biscionius, si illud quidem foliis constat 183, ut is testatur Biblioth. heb. Flor. p. 434 ed. in 8. Oppenheimerianum quod Wolfius viderat, fol. 48 refert Seligmanni Catalogus. Notatu dignum est Christianorum ac religionis vocabula, quae sub radice עלם in praecedenti editione fuerant suppressa, in hac esse restituta, eaque intacta etiam servat editio antiqua sine anno et loco, CPolitana an. 1513, Thessalonicensis Gersonis Soncinatis sine an-

no, et quod mireris, etiam Veneta Justinianaea, quae cum reliquis ad manus est, in cujus anno referendo a bibliographis omnibus hucusque erratum est. Qui eam retulerunt ad annum 312, Chr. 1552, ut Buxtorfius aliique, ii non animadverterunt annum הש״ז in titulo dici creationis, ut notat Wagenseilius, et esse 5307, sed Wagenseilius ipse, et Wolfius qui judaicam aeram in christianam resolventes, eam faciunt anni 1547, non animadverterunt et ipsi in eodem titulo factam dici mense marchesvàn, quo coeptus erat quidem jam novus ille Judaeorum annus, sed adhuc decurrebat noster 1546.

XXXVII

Pentateuchus tum chaldaica Onkelosi Paraphrasi et Commentario R. Salomonis Jarchì, in fol. min. vel 4. maj. 2 voll. Ulyssipone anno CCLI, Christi MCCCCXCI.

Celeberrima, omniumque quotquot extant XV seculi elegantissima editio quam merito le Longius elaboratissimam rarissimamque appellat, meritoque Judaei a typorum praestantia atque a singulari ἀκριβεία, summopere celebrant. Ea enim ad hispanos codices exacta est qui communi judicio reliquis omnibus habentur accuratiores, perfectaque paullo ante nationis expulsionem ab Hispanis ac Lusitanis sapientibus qui in maxima semper apud Judaeos existimatione fuerunt. Quamobrem nescio qui scribere potuerit anonymus quidam sutor ultra crepidam in Simonii Bibliotheca critica vol. III p. 451, editionem hanc non esse exactam nec characterum nitore aestimabilem, sed in vulgi gratiam sine cura susceptam et emissam. Quod non unius le Longii, sed doctorum quorumvis Christianorum ac Judaeorum judicio et facto ipsi opponitur. Haec porro est editionis ratio. Character sacri textus ac Paraphrasis quae ad exterius ejus latus conspicitur, quadratus est cum punctis et accentibus, sed ille major, hic minor, uterque hispanicae formae ac perfectissimae, etsi litterae nonnullae a reliquarum perfectione et elegantia tantisper recedant. Character Rasciani Commentarii qui supra et infra disponitur, est hispano-rabbinicus, qualis in lusitanis editionibus constantissime adhibebatur. Incipit opus versa folii pagina. Titulus Commentarii majoribus litteris quadratis contexitur, quibus et exarata sunt sectionum exordia, iisque majores adhuc sunt et ornatae binae litterae quae Mosis textum et targumicum inchoant. Supra extat titulus sectionis, qui per singulas paginas continetur, infra signaturae. Consuetae litterae habent raphè supra expressum, quaeque dilatari solent, saepe sive ad necessitatem, sive ad venustatem dilatantur, hocque singulare, quod inter eas locum habent ב, ד, ה, quae nunquam vel rarissime protrahuntur, ל non habeat, quod saepissime usurpatur.

Duobus voluminibus absolvitur opus, quorum primum Genesim et Exodum foliis 216 complectitur, numerato albo quod est sub finem prioris libri, alterum foliis 240 reliquos libros. Ad calcem primi reperiuntur Tosaphòth seu chaldaica quaedam Additamenta, ad calcem vero secundi summa masoretica versuum cujusque libri, ac pagina sequenti prolixa 38 versuum epigraphe, in qua sub medium dicitur

vir justus et purus R. Eliezer, is nempe in cujus domo erecta est typographia et excusi Nachmanidis Commentarius anni 1489 et Avudraham ejusdem anni, librum hunc impressisse, liber vero ipse

נשלם באשבונה שנת רנ"א באב
שלש אלפים עוד עלי אלפים

„ Absolutus Ulyssipone anno CCLI mense av,
„ Tribus ac duobus, seu V ei superadditis millenariis.

Initiales primae columnae dant nomen דוד בר יוסף ן׳ יחייא ישצו *Davidis filii Josephi ben Jachia quem Deus custodiat*, ejus videlicet qui epigraphem ipsam composuit et ut videtur, plagulas emendavit. Hic idem David fil. Josephi ben Jachia fuso carmine laudavit CPolitanam editionem magni Maimonidis operis Jad chazachà anni 1509, ex quo intelligitur eum e Lusitania cum reliquis omnibus suae nationis expulsum CPolim se contulisse. Sub finem nostrae epigraphis nomen aliud rabbinico charactere extat Josephi כלפון Chalphonii, vel Chalpon, qui unus ex correctoribus vel artificibus esse videtur.

Quum summae auctoritatis et fidei sint apud Judaeos hispanici codices, ex quibus haec editio est hausta, et editio ipsa maxima diligentia elaborata, gravissimae apud ipsos auctoritatis est, ac Norzius qui ea utitur in Commentario suo critico in sacram Scripturam, Minchàd scài inscripto, ad Exod. XX 14 eam appellat nomine דפוס מדויק מפורטוגאל *correctissimae editionis Lusitanicae*. Dissidet tamen aliquando a masoretico textu, etiam, quod mirum, in graviori lectione, ut Gen. XXII 13, ubi cum pluribus mss. codicibus utriusque collationis, Kennicottianae ac meae, cum Bibliis antiquis sine anno et loco, Samaritano textu, LXX, Syro, Chaldaeo ac loco parallelo Dan. VIII 3 legit אחד per daleth. Saepe etiam discrepat Onkelosus, ut fidem faciunt Variae nostrae Lectiones, et Jarchius. Paucissima aetatem adhuc ferre et singula membranacea hujus editionis exempla olim conscripsi, ac membranacea sane sunt cuncta quae dignoscebantur, Parisiense, Bodlejanum, ac bina mea, quorum alterum magnificentissimum retinui, alterum Crevennianae Bibliothecae concessi, et duo alia quae cl. Canonici ac Foà possident. At vero bina etiam chartacea deinceps consecutus sum, alterum fere integrum, alterum valde mutilum. Ex Regio Britannico quòd tamquam ms. habebatur, variantes collegisse se testatur Kennicottus in Statu collationis an. 1767, qui et numerum 261 in collatione ipsa illi assignavit.

XXXVIII

Pentateuchus cum Jarchii Commentario, V Meghillòth, seu Cantico canticorum, Ruth, Threnis, Ecclesiaste et Esther, Aphtaròth, seu Propheticis lectionibus et Antiochi Volumine, in fol. min. vel 4. maj. Neapoli an. CCLI, Christi MCCCCXCI.

Vix Romae detectus est hic Pentateuchus antea ignotus et extremae raritatis, quod novum hoc inventum sub finem Commentarii nostri de typographia hebraeo-ferrariensi doctis patefecimus. Eum etiam deinceps tum in Appendice ad Bibliothecam sacram le Longio-Maschianam, tum in Apparatu

hebraeo-biblico et in Clavi editorum codicum Variis Lectionibus praefixa suis locis retulimus, sed, ut res ferebat, ubique brevissime. Fusius nunc describemus ex exemplari quod anxie primum frustraque quaesitum feliciter tandem nacti sumus, quod etsi mutilum sit, multo tamen pleniorem et accuratiorem notitiam nobis suppeditat, quam ex integro suo dederit Pochius in italico Specimine, quod anno 1780 Romae edidit. Libri frons, si ipsi credimus, caelatura quadam est condecorata quae serta, infra vero alatum puerum et cervo insidentem ejusque cornua manu tenentem, ac vacuum stemma repraesentat, congruens, ut videtur, adamussim cum ea quam sub initium Genesis et Josuae habent Biblia antiqua sine anno et loco. Idem etiam omnino est ornatus, quo in utraque editione circumsepta est prima dictio Berescìth, majusculis expressa litteris, ac tituli veluti locum tenens, hinc inde vero binos alatos pueros vel angelos eam custodientes. Totidem majusculis litteris et ornatis separatis constant initiales aliorum librorum, ut in iisdem Bibliis, unico excepto Deuteronomio, quod eas exhibet integra tabula insculptas. Sectionum exordia charactere exarata majori, quadrato minori, hispanico, satque eleganti sacer textus, eodem plane quo antiqua Biblia, rabbinico tandem Commentarius qui ad exterius latus vel in ima pagina collocatur. Paginae habent titulos et signaturas, et ubi integrae sunt, sacer textus lineas 28, in Meghillòth vero 29, et aliquando 30. Ad calcem Pentateuchi seu Deuteronomii hi leguntur versus.

ידידי עם אשר בחרו למנה
בתורת אל בהר סיני נתונה ,
שאו ידכם לקבל זאת תשורה
בפירושה אשר גל מצפונה
ראו אם יש בתבל דוגמתה
עשאוה בדייוק בתבונה
אשר ישאל למי זאת המלאכה
השיבוהו בני שונצין הכינה
לעיר נאפול שנת נרא תיוחס ·
יבוננה אל ומלכה ברננה

„ Dilecte mi popule, vel Israelitae, qui elegistis in portionem
„ Legem Dei in monte Sinai datam,
„ Elevate manum vestram, ut suscipiatis hoc munus
„ Cum Commentario ejus qui pandit absconditum.
„ Videte num sit in orbe simile ei exemplar,
„ Accurate adeo elaboratum et intelligenter.
„ Interroganti cujus sit hoc opus,
„ Respondete illi, filii Soncini disposuerunt me.
„ Urbi Neapolis anno CCLI adscribatur.
„ Erudiat eam Deus et Rex ejus in cantu vel laetitia.

Ita in singulari ידכם, ut postulat carmen, et יבוננה per ב, non יבוננה et ידיכם, ut habet Pochii Specimen. Initiales versuum primae columnae, qui hic alternatim positi sunt, dant nomen *Israelis*, seu dilecti illius populi, quem alloquuntur typographi. Sed quinam intelligendi sunt nomine filiorum Soncini? Ii sane ex Soncinatibus qui ea aetate Neapoli typographiam erexerant et libros excudebant. Videlicet Josuas Salomon Soncinas, qui anno proxime sequenti illic elegantissimam Miscnae editionem vulgavit, non Gerson filius Mosis, ut communiter

sub eo nomine solet intelligi, cujus nulla extat in ea urbe curata editio, quique ea aetate non Neapoli, sed Soncini et Brixiae, ut ex editis ejus libris constat, morabatur. Josuae ergo adscribendus est noster hic Pentateuchus, ut et Psalterium, Job ac Proverbia hoc ipso anno Neapoli edita, et Biblia antiqua sine anno et loco. Pentateuchum excipiunt v Meghillòth binis columnis divisae, deinde Aphtaròth ac postremo Antiochi Volumen. Atque ad Aphtaròth nostrae hujus editionis referendum est proculdubio Fragmentum illud Vaticanum, de quo egimus in opusculo De ignotis antiquissimis sacri textus editionibus p. 31, et in Clavi editorum codicum p. CLIV. Totidem enim lineis constat, et membranaceum est, ut membranacea sunt bina hucusque reperta exempla, meum, ac Pochianum, quod post possessoris fata in biblioth. Propag. fidei pertransiit. Nec dubito quin hujus fragmenti lectiones quas ad Jerem. VIII proferimus, adamussim cum Pentat. nostro conveniant, si in integro conferantur exemplo. In nostro Aphtaròth deficiunt. Quod spectat vero ad usum criticum, suas habet haec editio pretiosas varias lectiones, et unica est in collatione a me edita, quae Deut. XXXI 13 cum binis Kenn. codicibus, tribus meis, Samaritano textu, Syro, Vulgato, Chaldaeo in duobus meis mss. legat cum suffixo tertiae personae אלהיהם *Deum suum*. Ceterum quae de ms. Puteolano nostrae hujus editionis fonte habet Pochius §. III, ut et alia multa, quae suo libello inseruit, saepe aliena et inopportuna, ea fabulosa sunt et rabbinicum redolent ingenium.

XXXIX

R. Immanuelis filii Salomonis Liber Mechabberòth, seu poeticarum Compositionum, in 4. min. Brixiae an. V. CCLII orbis conditi, Ch. MCCCCXCI.

Gerson Soncinas e patria sua, ubi anno praecedenti libros impresserat, typographicam artem Brixiam devexit, ubi hoc ac tribus sequentibus annis varia edidit opera. Horum primum sunt nostrae hae Immanuelis Compositione, quae continent rythmos et metra omnis generis „ admirabili, ut verbis utar Buxtorfii Biblioth. rabb. ad h. lib., arte, eloquentia, elegantia et doctrina conscripta, unde non immerito שר המשוררים *princeps poetarum* habetur ejus auctor „. Auctoris praefationi praefigitur titulus ספר המחברות למר עמנואל זלהה majoribus typis quadratis, primum vero ipsius praefationis vocabulum אמר majusculis ornatis ac ligneis elementis distinguitur. Carmina pleraque exarata sunt charactere quadrato minori, reliqua rabbinico, exceptis compositionum, in quas opus dividitur, exordiis, in quibus duplex majoris characteris genus comparet. Foliis constat 159 impressis, vel 160, numerato albo quod ex signatura debet praecedere, hocque explicit typographi testimonio: ותשלם כל מלאכת ספר זה הנקרא מחברות עמנואל על ידי צעיר המחוקקים גרשם המחוקקי בן הה"ר משה זצ"ל זרע ישראל איש שונצ"ינו ותהי הישלמתו פה · ברי"שה אשר תחת ממשלת השר"רה מווינ"יזיה יר"ה היום יום שני בשבת כ"ו לחדש מרחשון שנת חמשת אלפים ור"נב לבריאת עולם וה' ברחמיו יזכנו להתחיל ולהשלים שאר ספרי קדש מעולפים ספירים בתורת אלדים ולהרביץ תורה בישראל כאורת

נפשנו וישמחנו בבנין אריאל עם כל ישראל אמן. „ Absolutum est autem omne artificium hujus libri, dicti Mechàbberòth Immanuel, per manum minimi typographorum Gersom typographi filii sapientis R. Mosis (memoria justi sit in benedictione) ex semine Israel, viri Soncinatis. Fuit porro complementum ejus hic Brixiae quae est sub ditione serenissimae Reipublicae Venetae, cujus gloria extollatur, hodie feria II hebdomadae die XXVI mensis marchesvan anno quinque millesimo ac CCLII conditi orbis. Dominus misericordiis suis dignos nos faciat inchoare et perficere reliquos libros sanctos absconditos saphiros in lege Dei, et propagare legem in Israel juxta desiderium animae nostrae, laetificetque nos aedificatione arielis cum omni Israel. Amen „.

Wolfius, qui latinam hanc epigraphem profert tom. I pag. 1030, de Soncinatum agens familia, vertit die II sabbathi, quum tamen sat ex contextu ipso constet hic eo nomine hebdomadam juxta Judaeorum usum antiquissimum ac familiarissimum intelligi. Nec accurate subdit diem XXVI mensis marchesvan octobri nostro respondere qui novembri respondet. Mensis autem hic pertinebat ad annum nostrum ad finem vergentem 1491, non 1492, ideoque ad illum annum est amandanda editio, non ad 1492, ut factum est a Wolfio ipso commemorato loco et p. 951 I vol., et III p. 880, a Bartoloccio Bibl. rabb. tom. IV pag. 286, a Chevillerio De orig. typ. p. 265, ab Orlandio *Orig. della Stampa* par. I p. 165, et II p. 369, Maittairio Annal. typ. tom. I p. 312 et II ed. pag. 543, Biscionio Bibl. heb. Flor. 8. pag. 32, a me ipso olim in Disquis. de heb. typ. orig. p. 49, ac nuperrime a Panzero Annal. typ. tom. I, et Audifredio in Specim. hist. crit. editionum italicarum sec. XV p. 165, ab omnibus uno verbo qui de hac nostra editione egerunt. Corrigendus etiam in nonnullis auctoribus, ut Chevillerio, Orlandio ac Maittairio, mendosus titulus *Mechaberith*. Buxtorfium, qui in praefatione ad Florilegium hebraicum p. 12 testatur duas esse nostri libri editiones, CPolitanam et Venetam, inter quas haec est differentia, quod in CPolitana puncta carminibus sint adjecta, Venetae nomine Brixiensem nostram intelligere recte conjicit Wolfius postremo loco. Extat enim reapse inter utramque illud discrimen, ac Brixiensis punctis destituitur, quumque dicatur in ditione Venetae Reipublicae elaborata, neglecta praecedenti urbe solaque habita dominii ac provinciae ratione, Venetam Buxtorfius latiori hac significatione potuit appellare. At vero id fecit Buxtorfius filius non, ut Wolfius putat, Buxtorfius pater, qui Brixiensem editionem penitus ignoravit, CPolitanam solam agnoscens ac memorans, quam merito quidem p. 367 Bibliothecae rabb. vocat rarissimam, ut sane est haec nostra, sed perperam ad annum 1540 et ad Gersonem nostrum Soncinatem refert, quum ad Eliezerem ejus filium et ad annum 1535 sit referenda. Quod Buxtorfius filius, hoc idem fecit Bartoloccius, qui editionem nostram recensens „ unum, inquit, ex hisce exemplaribus apud me habeo. In Venetis multa sunt quae correcta fuerunt, et erant contra Chri-

stianos et Romanum regnum directa, quae in aliis editionibus aliquando ascribuntur a Judaeis ad marginem „. Parum tamen proprie, accurate, caute uterque, quum ex ea appellatione Veneta aliqua editio incautis minusque doctis obtrudatur quae non existit. In eo vero gravius reprehendendus est Bartoloccius, quod Immanuelem bar Salomò ab Immanuele ben Scelomò distinguat, illi Commentarios in Canticum ac Proverbia, huic poeticas Compositiones attribuens, atque ex uno eodemque auctore binos efficiat. Auctor porro Firmi in Marca Anconitana reapse vixit, non vixisse fertur, ut habet Biscionius, patetque id ex auctoris ipsius testimonio de se sub praefationis initium loquentis, ubi tamen pro בפירימו, quod mendose habet Brixiensis nostra editio, correctius legendum בפירמו *in Fermo*, ut legit cod. meus 647, qui et in aliis non paucis ab edito discrepat. Ex Judaeis sat accurate opus binasque ejus editiones sed pro instituto suo brevissime delineat R. Scabtai in Scifiè jescenìm sub num. 127 p. 41. Extat nostra editio in Vaticana, in Medicea, Seligmaniana, in nostra, et ex concessione alterius nostri exemplaris apud cl. Adler. Quod possidebat Bartoloccius, reperiri debet in bibliotheca s. Pudentianae, in qua ejus libri collocati sunt ac modo servantur.

X L

Avicennae Canon ab anonymo hebraice translatus, in fol. 3 voll. Neapoli anno CCLII minoris supputationis, Chr. MCCCCXCI.

Medicinae studiis quae impense semper excoluerunt Judaei, pulcherrimam hanc debemus hebraicam Avicennae Canonis versionem ac splendidissimam editionem, in cujus aera christiana referenda idem a bibliographis omnibus lapsus commissus est, quem in praecedentibus Immanuelis Compositionibus emendavimus. Etenim dies VI mensis chislev judaici anni minoris CCLII, quo absoluta est editio, incidit in novembrem anni nostri 1491, et idcirco huic anno adhuc decurrenti ea debet adscribi, non anno 1492, ut summa consensione hucusque factum est. Tribus constat voluminibus, quorum primum binos priores continet libros ac folia 143, secundum librum tertium ac folia 192, tertium postremos duos et folia 141, paginae binis columnis, columnae lineis 50. Praecedunt tribus foliis extra signaturam Avicennae praefatio et I libri index, qui et singulis libris praefigitur. Paginae habent titulos et signaturas, ac typi sunt quadrati minores, exceptis librorum, capitum, sectionum, indicum initialibus vocabulis, quae typis exhibentur majoribus. Sub finem II libri ac I voluminis leguntur haec: אתן תודה לקוני. אשר בדרך אמרת הנחני. פה נאפולי בירת אדוני. ר׳ עזריא׳ בר יוסף נע ועד הנה עזרני. להשלי ספר שני. לחכם הרופ׳ אבן סיני. על ידי צעיר אני אשר בהחר׳ הפרץ מינצא מצר׳ האותיות היום ז לירח כסלו רנב לפק׳ „ Laudem tribuam possessori meo qui in viam veritatis deduxit me huc Neapolim in domum domini mei R. Azariel filii R. Josephi, cujus requies sit in horto voluptatis, et usque nunc adjuvit me, ut perficerem librum II sapientis medici Aben Sinae, per manum mei minimi Ascer filii sapientis R. Peretz Mintza compositoris lit-

terarum seu typotethae, hodie die VI mensis chislev anno CCLII minoris supputationis „. Alterius artificis nomen occurrit ad calcem voluminis II: חזק ונתחזק אברהם בן מהרר' יעקב לאנד' מצרף האותיות לא יזק גם הקורא לא יעף „ Fortis sit ac confirmet se Abraham filius domini sapient. R. Jacobi Lando typotetha, damno non afficiatur, etiam lector non defatigetur „. Postremum volumen absque ulla epigraphe explicit.

Ex nostra emendanda est latina Wolfii prioris epigraphis interpretatio, quae extat tom. III pag. 6. Hebraicam Wolfius ipse emendavit ac pleniorem dedit tom. IV pag. 749, ubi et integram operis praefationem attulit. Sed nullibi corrigit quae de typographo nostro Ascer pravaque ejus cognominis lectione scripserat Bartoloccius ac Wolfius ipse repetit tom. I p. 228. Transposito enim jod legit ille מניצא *de Nizza*, ac Niceensem patria fecit, quamvis incertus, an de Montisferrati oppido, vel de maritima urbe hoc esset intelligendum. Neapoli autem excusum fuisse opus manifeste docet epigraphe, non CPoli, ut olim opinabatur Plantavitius Bibl. rabb. pag. 548, qui et male subdit annum non notari. In folio denique est, et 3 voluminibus, non in 4. ac quatuor voll., ut notat Catalogus mss. biblioth publ. Parisien. tom. I pag. 37, et ex eo Casirius Biblioth. arab. hisp. tom. I pag. 270. Quis hebraicae nostrae Avicenniani Canonis versionis sit auctor, non prodit editio. Verosimilius eum esse Nathanem Hamathaeum olim conjeci, cujus nomen exprimit inter Bodlejanos codex Laudanus 170, et Marschallianus 410, ut monet Wolfius tom. IV pag. 749. Sed hoc plane incertum est, et si ex titulo totidem conceptis verbis utrique codici praefixo conjici aliqua ratione potest, eandem in Laudano ac meo 927 servari versionem, ea sane a Neapolitana nostra quammaxime differt. Praeterea Hamathaei interpretatio facta est ex arabico, ut monet codex Marschallianus, nostra vero cum latina apprime convenit. „ Contuli ego nonnihil, inquit Wolfius, versionem hanc hebraicam cum latina quae saepius edita v. c. Venet. 1507 4. eamque cum hac apprime convenire intellexi. Nec fortasse fallitur, qui in limine exemplaris hebraici, ex quo haec descripsi, notaverat interpretationem hanc ex latina Gerhardi Carmonensis factam esse „. Mediceus videtur et ipse Hamathaei versionem complecti, si is quidem ex arabico conversus est, ut notat Biscionius Biblioth. heb. Flor. pag. 480, ubi pag. sequenti male in civitate Asbonae dicitur completus. Hebraei enim nomine אשבונה seu *Isbonae*, Ulyssiponem intelligunt, ut patet ex supra allata Ulyssiponensis Pentateuchi editione. Raritatis notam jure huic editioni, cujus praestantissimum apud nos extat exemplar, attribuunt Wolfius ac David Clemens in curiosa sua rariorum librorum Bibliotheca. Kestnerus in Biblioth. medica in Avicennae Canonis laudem arabicam editionem Wratislaviae, tum magnificentissimam Romanam Mediceam refert, quam nos una cum reliquis editionibus arabico-mediceis magni Etruriae Ducis munificentia ac dono possidemus. At nostram hanc hebraicam prorsus omittit, etsi in operis honorem et ipsa mirifice cedat.

MCCCCXCII

XLI

Pentateuchus cum V Meghillòth seu sacris Voluminibus, et Aphtaròth, seu Prophetarum lectionibus, in 4. min. vel 8. Brixiae anno min. supput. CCLII, Christi MCCCCXCII.

Nonnisi unicum olim editionis hujus extremae raritatis, et Wolfio ac le Longio ignotissimae notum erat exemplar, illudque chartaceum, quod Carolisruhae in bibliotheca marchionis Durlacensis servabatur, ex quo ejus notitiam in *Ten Annual Accounts* p. 102 et 104 dedit Kennicottus, pleniorem vero recensionem in Bibl. sacra tom. I p. 67 cl. Maschius. Verum jam observavimus in Apparatu hebraeo-biblico p. 53 membranaceum aliud quantivis pretii felicissimo eventu nos biennio ante nactos fuisse, integerrimum et elegantissimum, quod pertinebat ad insignem bibliothecam Cornelianam Patavii postremis hisce temporibus distractam ac divenditam, eique tertium etiam membranaceum postea erutum ac quartum chartaceum, sed utrumque mutilum, accessisse. Prima pagina primum exhibet Geneseos vocabulum tituli veluti loco praemissum sacro textui, ac majusculis ornatisque exaratum litteris, ligneoque ornamento supra et infra stipatum. Quae de colore rubro notat Maschius, ea solum exemplar Durlacense respiciunt, in quo color ille litteris vel ornatibus super inductus est, non nostra, quae, ut mos ferebat Soncinatum typographorum, nigerrimum hic atramentum praeseferunt. Praecedit folium album, quo numerato sunt editionis folia 218, ac Durlacense, quod Maschio teste numerat 220, forte bina alia alba in medio vel ad calcem inserit, quae in meo exemplari non extant. Integrae sunt paginae, titulis instructae, sed non signaturis, lineis 26 constantes, character minor nec inelegans cum punctis et accentibus, exceptis initialibus sectionum ac voluminum dictionibus, quae majoribus excusae sunt typis. Sub initium reliquorum librorum Pentateuchi ingens vacuum spatium relictum est, ut initialia eorum vocabula majusculis ornatisque litteris, ut in Genesi factum fuerat, imprimerentur, vel pro emptorum arbitrio ac voluntate manu ac minio pingerentur. Divina nomina per daleth, ut in integris Brixiensibus Bibliis, exprimuntur, kerì plerumque in textum receptum, haecque ad calcem subjecta typographi nota: ותשלם כל המלאכה מלאכת ה ותורתו תורת ה תמימה עם חמש מגילות והפטרות כפי מנהג בני אמונתינו אשכנזים וצרפתים היום יום ב כ"ד לחדש שבט רנ"ב לפ"ק פה ברי"שה אשר תחת ממשלת השררה מוויני"זיה יר"ה על ידי צעיר המחוקקים גרשם בן הח"ר משה זצ"ל זרע ישראל איש שונצ"ינו ושם כינויו בלשון אשכנז נקרא מענצלאן שונצין יצ"ו „ Finitum est autem universum opus, opus Domini, et Lex ejus, Lex Domini perfecta una cum v Meghillòth et Aphtaròth secundum ritum filiorum fidei nostrae Germanorum et Gallorum, hodie feria II die XXIV mensis scebàt anno CCLII min. supputat. hic Brixiae, quae est sub dominio Reipublicae Venetae, cujus majestas exaltetur, opera minimi typographorum Gersom filii sapientis R. Mosis fel. mem., ex semine Israel, viri Soncinatis, cujus cognomen germanice dicitur Mentzlan

Schontzin. Custodiat eum Deus „. Nullum ergo in aera cubat mendum, quam Kennicottus constituerat, nec idem est hic Pentateuchus cum Brixiensi 1494, ut suspicatur Fabricy *Des titres primitifs* tom. II pag. 392, cujus judicio factum est, ut nos in Disquisitione nostra ab eo afferendo supersederemus. Germanicum illud Gersonis cognomen in aliis epigraphis legitur sine aleph מענצלן Mentzlen et videtur esse vocabulum Menschlein quod homunculum significat.

XLII

Anonymi Pèdach devarài, seu Apertio vel initium verborum meorum, 4. min. sine loco, sed Neap. an. V. CCLII, Christi MCCCCXCII.

Inter ignotas editiones XV seculi, quas post editam Disquisitionem nostram de hebraicae typographiae origine deteximus, numeranda est et nostra haec Pèdach devarài, grammatici operis egregii saepeque recusi, sed incerti auctoris Hispani, quem male Scabtaeus in Sciftè jescenìm p. 63 Mosem Kimchium, pejus Catalogus Seligmannianus fol. 38 Davidem ejùs fratrem esse definiunt. Prima praefationis vox quae operi titulum dedit, dat et editioni, quae ab opere quidem ipso statim incipit, sed praemittit vocabulum פתח majusculis litteris totidem ligneis tabulis ineleganter insculptis et inconcinnis elucubratum. Typi rabbinici, incompti et ipsi ac detriti, iisque deteriores adhuc sunt quadrati intermedii, qui in nonnullis verborum conjugationibus in primis plagulis adhibentur. Utrisque elegantiores sunt quadrati majores, quibus initialia sectionum verba saepe sunt exarata, iidemque cum iis, qui in Neapolitanis Josephi Aschenazì editionibus conspiciuntur. Explicit hisce verbis: תם ונשלם על ידי צעיר תלמידי הידיד הנאמן מרנא ורבנא מאור ישראל . ראש גולת אריאל . עמוד החזק פטיש הימני חכם בכל חכמה . שלם בכל תבונה ודעת . הפלוסוף אלהי . מרבה שלמות החכמה בן חביב לשם ולבריות ישמרהו צורו אמן . ותשלם המלאכה היום יום ראשון לר"ח אדר שני שנת ופדויי י"י ישובון ובאו ציון ברנה . „ Finitus est et absolutus opera minimi discipulorum dilecti, fidelis, doctoris ac praeceptoris nostri, luminis Israel, capitis vel principis captivitatis ariel, columnae fortitudinis, mallei dexteri, sapientis in omni doctrina, perfecti in omni intelligentia ac cognitione, divini philosophi, qui multiplicat perfectionem sapientiae, filii dilecti (Mosis ben Chaviv) Deo et creaturis. Custodiat eum Rupes ejus. Amen. Impositus est autem operi finis hodie die I initio mensis adar II anno *Et redempti Domini redibunt venientque ad Sion in cantico*, seu an. V. CCLII „. Sic de majori supputatione et aera orbis conditi dictio ברנה, et de V millenariis postrema ejus littera ה interpretanda, cujus rei multa in eorum epigraphis extant exempla, binaque luculentissima binae aliae editiones hoc eodem anno in Lusitania curatae hocque eodem ad anni designationem assumpto vocabulo infra suppeditant. Qui loquitur anonymus discipulus praeceptoris nomen Mosis ben Chaviv, editis scriptis reapse illustre, partim initialibus litteris, partim punctis indicat. De eo Wolfius tom. I p. 821, et nos supra ad Aben Ezrae Commentarium anni 1488, in

cujus editione is correctoris functus est officio. Vel ex ipso porro operis exordio, quod cum binis aliis quae apud nos extant, editionibus contulimus, Veneta anni 1546 ac CPolitana rarissima an. 1515, quam una cum nostra profunde ignorat Wolfius, patet Neapolitanam ab iis in multis differre. Desunt quoque in hac quae de daghesc in utraque illa adduntur ad calcem, ab alio auctore profecta. Praeter nostrum exemplar duo alia in Vaticana extant ad annum 1497 male relata, quorum unum p. 174 ms. Catalogi sub proprio titulo commemoratur, alterum p. 112 sub altero ס׳ דקדוק, ac si a priori illo opere esset diversum.

XLIII

Miscnà seu judaicarum traditionum Corpus a R. Jehudà Akkadòsc collectum cum Commentario R. Mosis Maimonidis ex hebraica variorum versione, in fol. maj. Neapoli anno min. supputat. CCLII, Christi MCCCCXCII.

Doluimus olim summopere nobis non contigisse ullum principis hujus, splendidissimae ac rarissimae totius Miscnici corporis editionis exemplar videre, ut paullo fusius pro ejus gravitate ac praestantia eam describeremus, quam a Bartoloccio fiat tom. III pag. 343, eumque secuto Wolfio tom. II pag. 883, qui illam brevissime recensent. Modo duo apud nos felicissimo eventu reperiuntur, chartaceum alterum, alterum membranaceum, integerrimum utrumque, luculentissimum, veraque exiguae nostrae hujus bibliothecae cimelia. Incipit a praefatione R. Jehudae filii Salomonis ben Charizi, cui statim fusior subjicitur Maimonidis introductio, sed album praecedit folium ad primam signaturam pertinens, quo in numerum assumpto sunt editionis folia 356. Paginae binis constant columnis, titulis, signaturis, character textus per sectiones divisi quadratus hispanicus, minor et elegantior eo, quem Soncinas noster typographus in sacris editionibus adhibuit, rabbinicus alter Commentarii, qui textui subjicitur, majusculae tandem et ornatae litterae, quibus exarata sunt initialia tractatuum vocabula. Ad calcem V ordinis Kodascim, seu de sanctificationibus, folio 270 pagina versa, tres typographus notas apposuit. Prima rythmica ac litteris quadratis Maimonidei Commentarii laudes continet, qui dicitur in urbe Neapolis editus ingenio Josuae viri Soncinatis, et finitus mense jiar anno 5252 ab orbe condito. Eam excipit rabbinicis typis secunda, plenior ac luculentior, quam integram damus:
נברך ה׳ אשר יעצנו חזקנו ואמצנו להתחיל ולהשלים מלאכת החבור הגדול הלזה׃ מהמשניות משתא סדרי עם פירושם להרמ״בם ז״ל אשר אולם נעשה בעזר והתעוררות איש די רוח אלהין קדישין ביה׃ אב בתורה׃ אב בחכמה השלם הה״ר אברהם תלמיד ספרדי יצ״ו כי אמץ כח להעשותו בדפוס למען זכות בו את הרבים בהיות של מעוט מציאות החבור הזה׃ שלם בגלותינו לא הגיע לכלל האומה התועלת אשר בו כוון הרב המורה׃ מחבר הפירוש הנזכר כמבואר בהקדמתו שחברו למען תהיה תורה שבעל פה שסדר רבי׳ הקדו׳ ערוכה ומוכנת לפני כל עד היום הזה אשר העיר י׳ רוח החכ׳ הנזכר כי באמצעותו יפוצו הלכותיו חוצה בכל נפוצות הגולה ויגדיל תורה ויאדיר ועמו נשתתפו בהוצאה הרבה הזאת הנדיב והשוב כמ״ר יוסף אבן פיסו ספרדי בעל בריתי יצ״ו ואנכי הצעיר זעירא דמן חבריא יהושע שלמה׃ איש שונצינו בעל המלאכה׃

הזאת והותרה השלמתו יו׳ ג׳ יא׳ לחדש אייר רנ״ב לאלף הששי פה נאפולי יכוננה עליון וירום הוד מלכה דון פירא״נדו שיחיה לאורך ימים . אמן ואמן . ב״נלך ואע״י „ Benedicamus Domino qui nos consuluit, roboravit, confirmavit, ut inciperemus et absolveremus opificium eximii hujus operis sex ordinum Miscnajòth seu Traditionum cum Commentario R. Mosis ben Maimòn fel. mem. Quod sane perfectum est auxilio et incitamento viri in quo est Spiritus Dei sancti, doctoris in lege ac sapientia perfectissimi, sapientis R. Abrahami Talmìd Hispani, quem Deus servet incolumem. Is enim corroboravit facultatem, ut imprimeretur ac reipublicae utilitati consuleretur, quum ob penuriam absolutissimi hujus operis in captivitate nostra redundare ad universam nationem non posset emolumentum, quod Commentarii auctor intenderat, ut declaratur in ejus praefatione, quam composuit, ut lex traditionalis, quam doctor noster sanctus congessit, esset ante omnes parata et instructa usque ad diem hanc, qua excitavit Dominus spiritum laudati sapientis, ut ejus opera extra spargerentur illius constitutiones in omnibus dispersionibus captivitatis, et augeret et magnificaret legem. Cum eo autem consociati sunt in impensa hac maxima nobilis et aestimatus dominus R. Joseph Aben Piso Hispanus, amicus meus, quem Deus custodiat, et ego pusillus, minimus sociorum, Josuas Salomon Soncinas, hujus artis opifex, fuitque finis ejus feria III, die XI mensis jiar anno CCLII sexti millenarii hic Neapoli. Dirigat eam Altissimus, et extollatur majestas regis ejus Don Ferando, qui vivat annos multos, amen amen. Benedictus qui dat defesso virtutem, et ei, cui vires desunt, robur addit „.

Huic epigraphi tertiam subjiciunt artifices, in qua excusant se, quod operis finem ad calcem hujus ordinis ponant et indicent, quum deberet is ad calcem Taoròth, seu ordinis postremi, collocari, testantes se illud ideo fecisse, quod ordinem hunc Kodascìm postremo loco excuderint. At vero si ultimus ordo sine typographi nota explicit, pretiosa alia in editione nostra illic servatur Maimonidis, in qua asserit se expositionem istam componere coepisse, cum annorum esset trium ac viginti, eam vero absolvisse in Aegypto, cum annorum esset triginta, anno videlicet contractuum septuagesimo nono. Quod Maimonidis testimonium, in figenda vera ejus nativitate ac litteraria ejus historia gravissimum, in solis mss. ac veteri nostra Neapolitana editione adesse suo jam tempore in praefatione ad Portam Mosis observavit ac protulit Pocokius. Extant et in hac editione singulis ordinibus praefixae variae interpretum praefationes, qui Maimonidis Commentarium in eosdem ordines ex arabica in hebraicam linguam verterunt, videlicet ordini Zerahìm, vel de seminibus, R. Jehudae ben Charizi, Moèd seu de festivitatibus, R. Josephi filii Isaaci ben Alphuàl, qui et postremos tractatus praecedentis ordinis, qui ex Charizii versione non reperiebantur, supplevit, Nascìm, seu mulierum, R. Jacobi filii Mosis ben Achsai, Nezikìn, seu damnorum, R. Salomonis filii Josephi, dicti ben Jacob, excepto tractatu Avòth qui retinetur ex versione Samuelis Aben

Tibbòn, Kodascìm R. Nathanaëlis filii Jose Almali, qui et saepe ad calcem annum absolutae interpretationis designarunt. Sic R. Joseph ben Alphuàl testatur versionem suam absolvisse sub finem mensis sivàn anni 57, R. Jacob ben Achsai anno 58, R. Salomon ben Jacob die III chislev anno orbis conditi 5058 in urbe Caesaraugustae regni Arragoniae. Postrema haec nota in Mantuana editione anni 1561, quae ad manus est, aliisque non comparet, sed legitur in mss. codicibus, ut nostro 984, nosque ad hunc codicem integram producimus.

Patet autem ex hac nota singulos illos annos esse orbis conditi, sexti videlicet millenarii, non aerae contractuum, ut de primo illo anno 57 scribit Pocockius et Wolfius tom. I p. 838. Quod nescio ex quo fonte aut ex qua editione hi auctores hauserint, nam Neapolitana nostra vocabulum contractuum omittit, nec ullam aeram definit, nec ulla est ratio, cur annus hic de aera contractuum debeat intelligi, reliqui de communi. Ita quum in praefatione sua testatur Nathanael Almali R. Simchà Romanae synagogae legatum Caesaraugustam pervenisse ac versionem petiisse anno 57, non 50, ut mendose habet Pocockius, dubium non est, quin de minori supputatione aerae creationis sit intelligendus, ut intelligendi sunt auctores Juchasìn et Scalsceled, qui monent eo anno Arisbà seu R. Salomonem ben Adèred Maimonidis Commentarios in Miscnàm hebraice vertendos curasse, non de aera contractuum, ut male iterum Pocockius interpretatur. Nathanaëlis praefationi praemittuntur in nostra editione in ejus versionis laudem versus nonnulli R. Salomonis filii Jose, dicti ben Jacob, Abrahami filii Samuelis ben Abdalmàh et R. Isaaci filii Abrahami ben Josaf, qui in aliis editionibus desiderantur. In his omnibus, ut et in praefatione ipsa, constantissime Nathanaël vocatur interpres, non Nathan, ut habet Wolfius, constantissime filius Jose, non Josephi, ut habet idem Wolfius, Scabtaeus, in fronte Mantuana editio, et ut videtur, hodiernae aliae editiones. Sed Mantuana sibi ipsi contradicit, legens in textu praefationis Jose, hocque ipso ostendens nonnisi per errorem in ejus titulo Josephi nomen irrepsisse. Multa etiam hic extant loca in Sahedrin et Avodà zarà in aliis editionibus sublata vel mutata, magnaque lectionis varietas tum in Miscnae textu, tum in Maimonidis Commentario, de cujus editionibus agens Wolfius sub Maimonide, Neapolitanam nostram, quod mirum, perpetuo omittit, oblitus eorum quae in II volumine scripserat Miscnicum hujus editionis textum eo Commentario fuisse instructum.

XLIV

Proverbia Salomonis cum chaldaica Paraphrasi ac Commentariis R. Levì Gersonidis et R. Menachèm Meirì, in fol. sine loco, sed Leiriae, an. CCLII, Christi MCCCCXCII.

In medio stat uterque textus, sacer ac targumicus, binis columnis divisi, ille quidem majori charactere quadrato hispanico et luculento, hic minori, ambo punctis vocalibus et accentibus instructi, hinc inde rabbinico hispanicae inflexionis bini Gersonidis ac

Meirii Commentarii. Distinguuntur hi praepositis litteris, quae textuales ipsas adhuc superant, auctorum nominibus, quae et saepe, praesertim Meirii, in superiori margine una cum titulo sacri textus minoribus typis targumicis repetuntur. Prima 49 folia numeris supra designantur, infra plagulae, lineola raphè discernuntur consuetae utriusque textus litterae, qui sine ulla majori vel ornata initiali incipiunt a secunda signatura, fusis praemissis illorum auctorum praefationibus, quae primam, seu integrum quinternionem occupant. Constat editio foliis 226, ac desinit rythmica epigraphe, in qua dicitur curata in domo egregii Don Samuelis Dortas e regione longinqua opera intelligentis filii ejus Abrahami, jussu et sumptibus sapientis excellentissimi R. Samuelis Kolodri, absoluta denique בראש חדש אב . . שנת ובאו ציון ברנ"ה *I die mensis av . . anno et venient ad Sion in cantico* seu $\bar{\text{V}}$. CCLII. Ita de majori supputatione conditi orbis interpretanda est aera vocabuli ברנ"ה, de V millenariis intellecto ה finali, ut monui et feci in Appendice ad Bibliothecam sacram le Longio-Maschianam p. 28, in Apparatu hebraeo-biblico p. 55, et in Clavi codicum vol. I Variarum Lectionum praefixa p. CLI, non de minori, ut antea feceram De heb. typ. orig. pag. 57, mecumque Wolfius, Maittairius, Kennicottus, Maschius, ac Catalogus Seligmannianus, qui editionem hanc ad annum 257, Chr. 1497 summa consensione retulerunt. Solent enim Judaei in eorum aeris littera ה etiam sub finem posita quinque millenaria denotare, idque multa ostendunt exempla, sed bina nos tantum seligimus luculentissima. In celeberrimis Bibliis Athiae anni 1667 censura rabbinorum data est anno תו"כה, quem non de minori 432, sed de majori 5427 ab O. C. editores ipsi interpretantur. In editione Isaiae ac Jeremiae hoc eodem anno Ulyssipone curata, in qua hoc idem vocabulum ברנ"ה ad designandam aeram assumitur, ה certissime quinque millenaria exprimit, nam statim subditur לפרט היצירה *aerae creationis*. Idem ergo dicendum de editione nostra, haecque eadem aera subintelligenda. Tandem si minor hic supputatio intelligatur, incideret editio in eum annum, quo, fatentibus plerisque Judaeis, contigit aut saltem certe incepit eorum exilium ex Lusitania. Ad eum enim annum 257 illud amandant Samuel Usque *Consolacam as tribulacoens de Ysrael* fol. 197 b, Immanuel Aboab *Nomologia* p. 291, et ut alios omittam, R. Abraham Scamsulai in praefatione ined. libri De creatione Adami et Evae apud Wolfium tom. I p. 107. Historici nostri, ut Osorius, Mariana, Bartoloccius tom. III p. 730 etiam ad praecedentem an. 1496 illud referunt.

Quod spectat ad locum, quum characteres tum sacri textus, tum chaldaicae Paraphrasis, tum Commentariorum, perfecte congruant cum iis, quos in Prophetis prioribus anni 1494 Leirenses typographi adhibuerunt, Leiriae facta censenda est editio. Venetiis sane pessime attribuit Seligmanni Catalogus fol. 50 pag. versa. Nec sat accuratum in hac describenda editione quam in Oppenheimeri bibliotheca viderat, se praebuit Wolfius tom. II p. 409, non annum modo, ut diximus,

sed et propria quae in epigraphe referuntur, virorum nomina mire confundèns ac detorquens, ac Gersonidis insuper Commentarium omittens qui nobilissimum in ea locum occupat. Ac posterius quidem hoc Wolfii ipsius oblivioni videtur tribuendum, nam vol. III p. 649 Gersonidis Commentarium anno 257, sed loco, inquit ipse, nescio quo editum vidisse se aperte testatur. At vero in legenda epigraphe pleraque primum virorum nomina omisit, propterea quod prioris tantum columnae versus seu hemistichia legerit. Deinde ex honoris titulo הנכבד qui Samueli Dortas tribuitur, confusis plerisque litteris ob insolitam rabbinici characteris inflexionem, fictitium illud viri cognomen effecit קנספד, quod deinde Maittairius tom. I novae edit. p. 645 novo errore in הספד transformavit. Quo etiam factum est, ut propter maximam quarumdam litterarum similitudinem verba בנו רקמום הם, manus videlicet intelligentis Abrahami *filii sui acu ea pinxerunt ipsae*, Wolfius neglecto בנו in unum illudque corruptum Abrahami cognomen רקומסקם, nos vero, quum primum vidimus, in bina בנרק מוסקם contraheremus. Quamquam porro ex hispanicis codicibus qui raro discrepant, hausta sit nostra editio, habet tamen suas varias lectiones, etiam singulares et unicas. Unica sane est editio, et quidem, quod mirum, sine mss., quae Prov. XIII 19 pro כסילים *stultorum* legat רשעים *impiorum*, ut LXX, Syrus et Arabs, unica cum paucis codicibus, quae aliam Syri lectionem tueatur Cap. XXIV 28. Ac multo major adhuc est discrepantia, quae in chaldaica Paraphrasi ac Commentariis observatur. Quod attinet ad Meirii Commentarium, corrigendus est, ut in Appendice monuimus, cl. Maschius, qui asserit Biblioth. sacr. tom. I p. 111 eum primum ex ms. codice in Bibliis rabbinicis Amstelodamensibus an. 1724, Keilòth Moscè inscriptis, editum fuisse, oblitus eorum quae ex Wolfio ac recensione nostra de hac editione adnotaverat pag. 147. In eundem errorem lapsus est Wolfius tom. IV p. 899, unde eum proculdubio Maschius hausit. Extremae raritatis est editio, ac tantae quidem ut eam memorans Kennicottus in Statu collationis anni 1766, nesciret ubi unicum ejus exemplar delitesceret. Nunc bina dignoscuntur, alterum nostrum hoc praefationibus mutilum, quod olim Mantuae in publica Judaeorum bibliotheca, ubi illud in selectis locis contulit Brunsius, extabat, alterum quod Hamburgi superest in Seligmaniana, et est Oppenheimerianum ipsum, quod Wolfius inspexerat.

XLV

Isaias ac Jeremias cum Commentario R. David Kimchì in fol. Ulyssipone anno ab O. C. V. CCLII, Christi MCCCCXCII.

Est et hujus elegantissimae editionis tam insignis ac singularis raritas, ut paucis abhinc annis nonnisi solo titulo cognosceretur. De ea scripserat Kennicottus in *The ten annual Accounts* pag. 105 ignorari locum, ubi nunc servetur, *place where now preserved, unknown*, nec ei licuit eam videre et conferre, ego vero dolui olim summopere De hebr. typ. orig. pag. 58 me ob exemplarium inopiam

non posse accurate illam describere, et auctorum qui vix ejus meminerant, defectum supplere. At vero postquam diu sed frustra, eam conquisivimus, tria tandem exempla studiis nostris felicissime deteximus et obtinuimus, bina integerrima, alterum in Isaia mutilum, quibus quartum solius Isaiae accedit, quod Oxonii in bibliotheca Bodlejana inter libros Seldenianos reperit cl. Brunsius, in additamentis ad Kennicotti Dissertationem generalem a se recusam pag. 557 fuse ab eo delineatum. Incipit pagina versa a Kimchii praefatione, praeposito titulo ספר ישעיהו majoribus litteris quadratis hispanicis ac pulcherrimis, quibus et initialia praefationis verba primumque Commentarii vocabulum sunt exarata. Sacer textus qui sequitur folio immediate sequenti, interiorem paginae partem ac linearum numerum modo majorem, modo minorem occupat, Commentarius exteriorem, undique eum circumdans. Illius character quadratus hispanicus, elegantissimus cum punctis et accentibus, hujus rabbinicus hispanicae inflexionis, nunc obsoletus, idem uterque cum eo, qui in Ulyssiponensibus editionibus Pentateuchi anni 1491 et Proverbiorum cum Commentario Kav venakì cernitur. In textu saepe dilatantur litterae, saepe insigniuntur lineola raphè, kerì modo in textum recipit, modo circulo indigitat, quo et variae codicum lectiones in pluribus locis innuuntur, plures alias, etsi ex hispanicis codicibus petita, servat in textu in nostra collatione productas, inter quas optimae ac rariores. Initialis utriusque libri majuscula et ornata, quaevis pagina habet titulum minoribus typis quadratis, quibus etiam in medio textus indicantur Aphtarae seu Propheticae sectiones, et ad calcem versuum summa. Summa Isaiae dissentit, numerans tantum versus אלף ומאתים ותשעים ואחד, seu 1291, ac pro signo assumens vocabulum ארצא pro ארצה, quod habet Ezechiel, ac communis Masora finalis. Notantur etiam in textu quod singulare ac rarissimum, consuetis litteris, ut in Pentateucho, sectiones clausae et apertae, majores ac minores. Constat integra editio foliis 248, quorum 134 Isaias, 114 Jeremias occupat, hacque absolvitur brevissima typographi nota: נכתב באשבונה בבית הרב ר׳ אליעזר בשנת בא יבא ברנה לפרט היצירה. „ Descriptus, seu excusus Ulyssipone in domo doctoris R. Eliezeris anno *veniendo veniet in cantico*, seu v̄. CCLII aerae creationis „.

Littera ה vocabuli ברנה puncto superius instruitur, ut innuatur non quinque annos, sed quinque millenaria ea indicari, quod in Judaeorum aeris interdum fieri supra animadvertimus. Quamobrem subjectis verbis לפרט היצירה major supputatio significatur orbis conditi, cujus rei multa extant exempla, ac bina apertissima solus Kennicottianus codex 571 suppeditat, in quo bini anni 5239 et 5244 dicuntur esse לפרט היצירה. Saepe etiam assumitur solum vocabulum לפרט ad innuendam majorem et integram aeram, ut in Kennic. codicibus 151, 228, 593, ad quorum classem referendus est et Kenn. 50, in cujus sigla פ׳ל׳ lamed de לפרט interpretandum est, intelligendusque annus 5087, non 5117, ut intelligit Kennicottus. Falsum ergo quod in Lexico talmudi-

co-rabbinico col. 1812 notat Buxtorfius, hoc vocabulum solam aeram minorem, seu numerum annorum mundi infra millenarium significare, quod et Judaei ipsi agnoscunt, qui ut minorem exprimant, solent jam alterum קטן illi subjicere. Emendandi itaque sunt, ut monuimus in Appendice ad Bibliothecam Maschianam pag. 29, bibliographi omnes, qui utrumque epigraphis vocabulum de minori computo accipientes, nostram hanc editionem ad annum 257, Chr. 1497, constantissime retulerunt. Videlicet Wolfius tom. II p. 399, et I pag. 301, le Longius pag. 75, et 696, Orlandius parte I p. 211 et II pag. 296, Maittairius tom. I novae ed. p. 631, Assemanus Biblioth. Apost. Vatic. tom. I p. 417, Kennic. De statu collat. c. l., et Maschius tom. I pag. 138. Nec si dubia quidem esset editionis aera et de alterutro anno intelligenda, ego unquam minorem ut verosimiliorem seligerem, quae, ut ad praecedentem editionem observavimus, in eum annum incidit, quo e Lusitania pulsi fuerunt Judaei. Valde correctus et accuratus est textus, ac prohinde vocabulum כל quod Jerem. XLIX 21 addit nostra editio contra fidem reliquarum omnium, et omnium codicum ac versionum, videtur ex archetypi potius fide quam editoris oscitantia irrepsisse. In Kimchii Commentario loca quaedam antichristiana, quae in Soncinensi 1486, et antiqua alia ac primaria sine anno et loco leguntur, in Ulyssiponensi nostra vel mutilata sunt, ut Isaiae VII 14, vel penitus ad Christianorum offensionem vitandam praetermissa, ut Isai. II 22, et XLIX 6.

MCCCCXCIII

XLVI

Pentateuchus cum V Meghillòt et Aphtaròth, seu sacris Voluminibus et Lectionibus prophetarum, in 4. min. vel 8. Brixiae an. CCLIV Chr. MCCCCXCIII.

Incipit folio recto a vocabulo ברא, relicto amplissimo spatio, ut ligneo ornatu insculptisque majusculis litteris primae dictionis בראשית, vel etiam si libuerit, minio et auro expressis titulus condecoraretur. Quo fit ut prima pagina nonnisi decem textus lineas complectatur. Idem spatium, sed nostro hoc Geneseos minus amplum, extat in fronte aliorum librorum, eademque initialium dictionum praetermissio. Pagina integra, lineis constans 26, sectionum titulis sed nullis numeris ac signaturis insignita. Character minor cum punctis et accentibus, idem quo exaratus est Pentateuchus anni 1492 et Biblia an. 1494, sed majori, ut in iisdem editionibus, distinguuntur sectionum vel voluminum initia. Pentateuchum excipiunt V Meghillòth, hasque Aptharòth pagina versa praepositis rabbinicis typis earumdem titulis qui in Pentateucho altero 1492 exhibentur quadratis. Ad calcem haec extat typographi epigraphe: ותשלם כל המלאכה מלאכת ה׳ ותורתו תורת ה׳ תמימה עם חמש מגילות והפטרות בסיוע אדון כל בש״ב מ״לו היום יום ב׳ ט׳ו לחדש כסלו רנ״ד לפ״ק פה בריישה אשר תחת ממשלת השררה מווינייזיה יר״ה על יד צעיר המחוקקים גרשם בן הח״ר משה זצ״ל זרע ישראל איש שונצינו ושם כינויו בלשון אשכנז נקרא מענצלאן שונ״צין יצ״ו „ Absolutum est autem totum opus, opus Domini, lexque ejus lex Domini perfecta cum

v Meghillòth et Aphtaròth, auxilio rerum omnium Domini, cujus regni gloriosum nomen sit in seculum et in aeternum benedictum, hodie feria II die XV mensis chislev anno CCLIV minoris computi hic Brixiae quae est sub dominio seren. Reipubl. Venetae, cujus majestas augeatur, per manum minimi impressorum Gersom filii sapientis R. Mosis (memoria justi sit in benedictione) ex semine Israel, viri Soncinatis, qui germanice cognominatur Mentzelen Sontzin (custodiat eum rupes ejus ac redemptor ejus) „. Hanc eandem epigraphem profert doctissimus Fabricy *Des titres primitifs* tom. II p. 391, unde nos illam hausimus De heb. typ. orig. pag. 52, ex nobis vero cl. Maschius Biblioth. sacr. tom. I pag. 67, eamque deinceps ex suo exemplari, quod modo extat in bibliotheca Propagandae fidei, repetiit Pochius *Del Pentateuco stampato in Napoli* p. 17. Sed nemo nostrum animadvertit, ut nec Kennicottus ad cod. 264 A, quo nostra haec innuitur editio, diem XV chislev incidere in initium decembris anni christiani 1493, non in 1494, qui adhuc non erat incoeptus. Prior ergo annus pro posteriori in omnibus restituendus.

Notanda sunt autem attente discrimina, quae intercedunt inter hunc Pentateuchum et binos alios anni 1492, et integrorum Bibliorum an. 1494. Adeo enim similes sunt inter se tres Pentateuchi Brixienses a Gersone Soncinate editi forma, charactere, titulis, linearum numero, initio, terminatione, spatiis, custodibus, ut si epigraphe careat exemplar vel solum Pentateuchum contineat, facillime confundantur, suntque a nonnullis reapse confusi. Quibus notis noster hic distinguatur a Pentateucho integrorum Bibliorum, in quorum exemplis is ut masorae conformior saepe substitutus est ac compactus, ad eadem Biblia infra exponemus. Eas nunc attingamus, quibus a praecedenti anni 1492 potissimum secernitur. In Pentateucho 1492 praemittitur sub initium Genesis tituli loco dictio בראשית majusculis ornatisque litteris excusa ac ligneis tabulis supra et infra clausa. Deest haec in nostro. In illo pagina recta 3 folii explicit verbo: בארץ, noster תהיה. Habet ille in prima pagina Numerorum lineas tredecim, relicto majori vacuo, hic quindecim, et ad calcem ejusdem libri in eadem linea in illo desinit textus, et ponitur summa versuum, infra vero in medio vocabulum חזק, in hoc finis textus in medio extat, infra summa versuum, paulloque infra hinc inde ad initium ac finem lineae bina vocabula חזק ונתחזק. In Pentateucho 1492 postrema Deuteronomii pagina continet decem lineas, in nostro sexdecim, atque ad calcem Ruth extat in hoc חזק, quod in priori desideratur. Similiter ad calcem Koeleth seu Ecclesiastis exhibet ille consuetam librorum siglam typis quadratis et in continuatione versus, qui ex libro solet repeti, hic typis rabbinicis et in medio, idemque typorum discrimen sistunt tituli Aphtaròth praefixi. Dissentit etiam interdum, ut ex nostra collatione constat, utriusque textus et editionis lectio. Praeter exemplar Propagandae fidei, olim Pochianum a Fabricio ac Kennicotto memoratum, bina alia hujus Pentateuchi extremae reapse raritatis apud

nos extant, chartaceum alterum cum integris Bibliis compactum, alterum membranaceum, quod solum tamen Pentateuchum eumque sub initium mutilum comprehendit. Ad alterutrum Brixiensem anni 1492 vel 1494, in quo Aptharòth et Meghillòth deficiant vel alterum integrorum Bibliorum qui solo Pentateucho absolvatur, referendum duco illum sine anno et loco in 12 ex antiquissima editione sub finem sec. XV a Soncinatibus Brixiae aut Pisauri expressa, cum divinis nominibus per daleth exaratis, quem refert Bibliotheca Solgeriana tom. III pag. 384 et Maschius tom. I p. 72.

XLVII

Psalterium, in 16. vel 24. Brixiae anno CCLIV, Chr. MCCCCXCIII.

Consului Florentiae integrum exemplar quod servatur in bibliotheca Laurentiana, et est cod. XVI plutei I. De eo Biscionius in ejus bibliothecae Catalogo p. 13 et edit. in 8. pag. 33, qui tamen male editionem hanc omnium aliarum vetustissimam appellat, quam aliae plures praecesserunt, male asserit a Wolfio memorari, cui fuit ignotissima, ac falso prorsus conjicit esse partem totius corporis Biblici, seu integrorum Bibliorum Brixiensium, quae longissime differunt. Sed recte rarissimam vocat: nec enim aliud hucusque notum est exemplar praeter Mediceum, nec aliud nos studiis ac laboribus nostris consecuti sumus, quam ut solum fragmentum obtineremus quod continet partem Psalmi LXXIX, et LXXX, postremos versus LXXXVI, integrum LXXXVII, et partem LXXXVIII. Minimae hae, maximique apud Judaeos omnes ac tritissimi usus editiones quam citissime dilabuntur ac pereunt, etiam hodiernae, quarum frustra post paucos annos extant vestigia, quanto magis vetustissimae quae tanto temporis intervallo distant? Si aliquod earum superest exemplar, illud vel membranae debemus quae difficile conteritur, vel ut Mediceum, Christiani alicujus harum litterarum cultoris studio, qui ea aetate florebat sibique illud comparavit. Editio incipit a 1 Psalmo, cujus prima vox אשרי tituli loco in medio majoribus litteris exhibetur. Character est quadratus minor cum punctis et accentibus, idem cum eo quo Pentateuchi Brixienses et integra Biblia excusa sunt, idem textus cum Bibliis, eadem litterarum compositio adamussim retenta. Quaelibet videlicet columna Bibliorum in binas minores paginas a typographo divisa est, minorque haec ac manualis Psalmorum editio ad Hebraeorum commodum seorsim curata. Hinc quaelibet pagina constat 13 lineis, ut quaelibet Bibliorum constat 26. Habet folia 164, Psalmorum indicem ad calcem additum, postque eum separato folio sequentem epigraphem: בריך רחמנא דסייען מריש עד כען . כלו תפילת דוד בן ישי לנצר גזעו יובל שי . ותהי השלמתו היום ז׳ טבת רנד לפ"ק פה ברישה על יד צעיר המחוקקים קטן התלמידים גרשם בן הח"ר משה ז"ל זרע ישראל איש שונצינו זצ"ל „ Benedictus misericors qui adjuvit nos a principio usque nunc. Absolutae sunt orationes Davidis filii Isai. Surculo vel germini stipitis ejus munus offeratur. Fuit autem finis ejus (libri) hodie die VII mensis tebeth anno CCLIV minoris computi hic Brixiae per manum minimi typographorum ac minimi disci-

pulorum Gersom filii sapientis R. Mosis felicis memoriae, ex semine seu filii Israel, viri Soncinatis (memoria justi sit in benedictione) „. Ex postrema hac sigla honoris defuncti memoriae consecrata patet Gersonem nomine *seminis Israel*, quod toties in suis epigraphis repetit, Israelem Nathanem Mosis patrem et avum suum intelligere, idemque esse ac בן seu filii Israelis. Dies autem VII tebeth incidit in finem decembris nostri decurrentis adhuc christiani anni 1493, ideoque ad hunc annum est amandanda editio, non ad 1494, ut Biscionius nosque ipsi antea fecimus, feceruntque quotquot post nos eam recensuerunt.

MCCCCXCIV

XLVIII

Biblia integra cum punctis et accentibus, in 8. Brixiae an. CCLIV, Christi MCCCCXCIV.

Quod ad celebratissimae hujus editionis formam attinet, eam in 4. esse statuit Scabtaeus in Scifiè jescenìm p. 84, idest in 4. minori, quod et nos olim praetulimus. Sunt enim exempla, quae ob integrum et amplum marginem eam formam videntur praeseferre. Sed est in octavo, octoque foliis reapse communiter constant plagulae. Opus immediate incipit a primo Geneseos capite, omissa prima dictione בראשית, sed amplissimo relicto spatio, quo ligneo ipsa includi ornatu, majoribus expressa elementis, vel manu minioque pingi debebat. Quod etiam sub initium aliorum librorum Pentateuchi factum est. Reliqui libri, ut et ipsius Pentateuchi sectiones, solis initialibus verbis distinguuntur majoribus litteris excusis. Paginae integrae, Psalmis exceptis, qui in binas columnas dividuntur, titulis instructae, ac lineis 26. Character minor cum punctis et accentibus, idem quo impressi sunt bini praecedentes Pentateuchi, in his tamen nitidior, in Bibliis nostris usu detritus. Linea raphè consuetae litterae non designantur, Dei nomina superstitiose ubique per daleth, seu per יהוד et אלדים efferuntur, kerì in textum recipitur, V Meghillòth seu sacra festorum Volumina suum post Pentateuchum, non inter Agiographa, locum occupant, binique Samuelis, Regum, Esdrae ac Nehemiae et Paralipomenon libri unicum tantum, ut in mss. et antiquis aliis editionibus, librum conficiunt. Sub finem voluminis, quod foliis constat 585, separato folio quod epigraphem continet, praecedit primum quidam rhythmus, in quo Gerson filius Mosis, qui se appellat מחוקק עם דפוס מהיר *impressorem typographicum velocem*, ait, quum videret ob exilii calamitates in oblivionem venire legem nec esse qui eam legat, aut ob ingentes sumptus sibi compararet, se quidem minori hac forma integros XXIV libros cum punctis et correctissime edendos suscepisse. Interpositisque octo lineis, in quibus iterum de misera hac suorum conditione conqueritur, sequentia subdit: לכן אני גרשם בן הח"ר משה זצ"ל אשר שם כנויי בלא' מענצלן איש שונציינו אזרתי כגבר מתני . ובינותי על אשר לפני . עת לעשות לי' . ולדברו אורו עיני . ואבא היום ואחקוק ספר העשרים וארבע בכמות קטן למען יהיה אצל כל אנוש לילה ויום להגות בו ולא ילך ארבע אמות בלא תורה והיה אצלו וקרא בו בשבבו ובקומו .

לילה ויומו . כאשר ישא התפלין . בלעדו בל ילין . ישאנהו יבוננהו . יהגה בו ויכבדהו . ואל על יקראהו . ישחר אליו וישמעהו . בצרה יקרא ויענהו . כי על מי לא יהל אורהו . ותשלם כל המלאכה פר וימלא כבוד ה׳ את כל הארץ שנת לפלא נד״ר פה בר״יש׳ אשר תחת ממשל השררה מוו״ניזי״ה יר״ה . ועת׳ יגדל נא כח ה׳ ויזכנו עשות ספרים הרבה אין קץ בתורת אלהינו וישמחנו בביאת גואל . עם נחמות ציון בבנין אריאל עם כל ישראל וכי״ר אמן „ Quapropter ego Gersom filius sapientis R. Mosis (memoria justi sit in benedictione), qui cognominor germanice Mentzlen, Soncinas, accinxi sicut fortis vel heros lumbos meos, quaeque oculis meis obversabantur, attente considerans, tempus est, inquam, operandi Domino et verbo ejus quod est lumen oculorum meorum. Veniam jam hodie et imprimam codicem viginti quatuor (sacrorum librorum) forma minori, ut unusquisque eum habeat die ac nocte ad meditandum in eo, nec iter faciat quatuor cubitorum absque lege, sitque apud eum, legatque illum dum cubat et dum surgit qualibet nocte ac quolibet die. Sicut portat philacteria, sine eo non pernoctet, sed portet eum, perpendat illum, in eo meditetur, et honoret eum, ac sursum seu erectus legat illum, diluculo vel sedulo eum exquirat pareatque illi, in angustia invocet et exaudiat eum; super quo enim non splendebit lux ejus? Perfectum est autem integrum opus currente sectione (Num. XIV 21) *Et impleta est gloria Domini omnis terra* anno *ex separato voto* (ibid. XV 3), seu CCLIV, hic Brixiae quae est sub ditione Reipublicae Venetae, cujus gloria extollatur. Nunc vero magnificetur quaeso virtus Domini, dignosque nos faciat qui edamus libros multos et infinitos in lege Dei nostri, laetificetque nos adventu redemptoris cum consolatione Sion in aedificatione arielis vel templi, cum universo Israel, sicque placeat Deo amen „.

Integram hebraicam epigraphem fusamque nostri codicis descriptionem tom. I Bibliothecae sacrae pag. 7 ac seqq. suppeditat doctissimus Maschius, cui tamen praeter minora quaedam errata quae omittimus, graviora nonnulla exciderunt quae non possumus inemendata dimittere. Falsum namque est, ut in Appendice ad eandem Bibliothecam pag. 29 jam animadvertimus, quod scribit Gersonem Biblia majora anni 1488 hac minori forma recudi curasse, quodque per conjecturam addit utramque editionem quoad lectionum varietates sibi invicem accurate respondere. Falsum quod subjicit eundem Gersonem codicem masorethicum ante oculos habuisse, sed ipsi consultius visum esse codicem non ad leges masoretharum exscribere, falsissimum denique editionem Pisaurensem, quam §. sequenti delineat, omnino diversam esse editionem, quamvis in plurimis cum hac apprime consentiat. Inter nostra haec Biblia ac Soncinensia insignis extat lectionis varietas ac discrepantia, ac tanta quidem, ut neminem dubitare sinat ex diversis codicibus ea fuisse edita, utraque vero a masora ac masoretharum legibus tam saepe tamque insigniter dissident, ut nunquam credere possimus eos codices masorethicos fuisse. Pisaurensis autem editio, ut videbimus, supposititia plane est, quaeque ab auctore nostro

aliisque Pisaurensis creditur, eadem cum nostra omnino est editio cumque ea in omnibus adamussim consentiens. Nec ea inter nostram et Munsterianas hebraeo-latinas est consensio, quam putat Maschius, nec tandem quinque, sed quatuor absolvitur partibus, ut solent Judaei sacros libros dividere. Libri enim festivales ex Agiographis ad Pentateuchi calcem, ut in nostris Bibliis fit, translati, non novam seu secundam partem, sed primae tantum appendicem constituunt. Ceterum quod notat cl. Maschius primum cujusvis eorumdem librorum festivalium ac reliquorum omnium qui sequuntur verbum calamo pictum esse, non typis expressum, hoc, si verum quidem est (nam et impressis litteris calamo superinduci potuit color tam apposite, ut pictae videantur), solum Berolinense exemplar respicit, unde hausta descriptio. Nam varia quae apud me extant, omnia initialia illa librorum praeter Pentateuchum verba referunt apertissime typis exarata.

Qualis autem quantusque sit cum aliis editionibus sive antiquis, sive recentioribus nostrorum Bibliorum consensus vel dissensus, ex nullo fonte melius jam eruitur, quam ex edita nostra variarum Lectionum collatione, ex qua constat etiam quam falsum sit judicium quod de nostro hoc Brixiensi codice tulit Opitius in praefatione ad Biblia Kilonensia, scribens „ ejus secutas esse lectionem editiones fere omnes, quotquot Bombergianam illam a R. Chaijm correctam praecesserunt „. Cui Opitii judicio nimis detulisse videtur doctissimus Eichornius, qui Brixiensem tamquam sequentium basim ac fontem et ipse constituit in Introd. V. T. tom. I p. 250, et II p. 211. Adde praeter discrepantes lectiones singulares non paucas, proprias, unicas editionem nostram complecti, in quibus cum nulla alia, quandoque etiam cum nullo ms. codice, consentit. Conferantur in collatione nostra Deuter. I 28, XXIX 4, Josue II 21, Jud. XVII 8, I Reg. XI 17, 19, 21, II Reg. II 1, XVII 4, Isai. XVI 14, Ezech. XII 19. De Brixiensis autem editionis correctione hoc tulit judicium Opitius quod satis accuratam deprehenderit, jamque multo ante Scabtaeus eam מוגה seu *correctam* appellaverat. Verum cl. Schultzius, qui criticam ac fusam horum Bibliorum, quae ex typographi nomine Gersoniana fere semper vocat, recensionem edidit in opere germanice inscripto Kritik über die gewöhnlichen Ausgaben der Hebräischen Bibel, ac Berolini edito an. 1764 et 1766, quique summo in ea studio ac labore inquisivit, inter permultas veras varias lectiones permultis illa erratis scatere ingenue fatetur, quorum amplissima profert exempla. Horum non pauca et nos vidimus ac notavimus, quum illa contulimus. Quae si editionis nostrae dignitati ac pretio paullisper officiunt, tanta est aliunde in ea variarum lectionum copia, ac praestantia, tamque varius ac multiplex usus, ut ob hoc unum pretiosissima debeat haberi.

Tanta quoque tamque insignis est raritas, ut inter praecipua bibliothecarum cimelia sit numeranda. Cardinalis Quirinius patri decoris vindex acerrimus multoties in suis operibus de nostra hac editione gloriatur, eaque uti-

tur in epistola ad Saxium pag. 216, ut parem ferme gloriam in hebraicorum codicum typographia Brixiae et Mediolano deberi ostendat. In ejus laudem singularem et illud cedere existimat doctissimus vir, quod a Vogtio in Catalogo historico-critico librorum rariorum pag. 90 vocetur rarissima, qua usus olim fuerit Lutherus in conficienda versione germanica, quodque Brixianum ipsum exemplar in Berolinensi bibliotheca capsulae inclusum asservari testetur. Sed nullum ejus vidit exemplar, ac ne unicum quidem, quod constet, reliquarum editionum Brixiensium, quae simul collectae in exigua hac nostra librorum suppellectile reperiuntur. Nec unus Vogtius, sed alii quamplures bibliographi in praedicanda eximia hujus editionis raritate cum eo conveniunt, qui afferri a Quirinio potuissent, atque inter ceteros Hottingerus in Bibliothecario quadripartito pag. 125, Opitius praef. ad Biblia heb. pag. 2, Wolfius Biblioth. heb. tom. II p. 365, Schelhornius in Amoenitatibus litterariis, Lesserius in Typographia jubilante pag. 77, Georgius Estorius in Anmerkungen über das Staats-und Kirchen recht p. 14, David Clemens *Bibliotheque curieuse des livres rares* tom. IV p. 26, Schulz Kritik etc. p. 13, Maschius Biblioth. tom. I p. 9, ac Bibliotheca lib. rar. univers. tom. I p. 96, quae non dubitat extremae raritatis notam Bibliis nostris tribuere. In horum tamen auctorum nonnullis typographico, ut opinor, mendo depravatus est annus. In Lesseri typographia pro anno 1494 legitur 1490, qui mendosus annus repetitur in Zuverlässige Nachrichten P. XIV p. 142, in Estorii vero Anmerkungen annus 1498. Nec dubitandum est, quin eodem typographico vitio bis in Eichornii Introductione editio haec ad an. 1495 amandetur.

Jam vero quod de insigni ejus raritate tot auctores produnt testimonium, illud perpauca quae aetatem ferunt, exempla confirmant. Horum unum Berolini servatur in bibliotheca regia, estque illud ipsum, quo in adornanda germanica sua versione usus est Lutherus. Ex hoc exemplari, de quo ob Lutheri usum magnopere gloriantur Berolinenses cives, variantes diligenter collegit publicique juris fecit Schulzius, cui ob earum notitiam sibi transmissam multum se debere profitetur Kennicottus in *The ten annual Accounts* p. 85, qui illas deinde collationi suae inseruit, assignato nostris Bibliis numero 264. Ex eodem exemplari hausta est, ut diximus, Maschii descriptio. Aliud exemplar extabat in bibliotheca Esdrae Edzardi, cujus copiam sibi suoque filio natu majori a possessore ipso liberaliter fuisse concessam narrat Opitius, et ipsissimum est, quod in bibliotheca Georgii Elieseris Edzardi deinceps vidit Wolfius. Fuit et in bibliotheca Hatenbergii, uti ex ejus Commentario in Danielem notat et colligit Maschius, atque ad Brixiensem nostram editionem, contra ac Maschius ipse sentiat, pertinere exemplar, quod Turici servatur in bibliotheca Carolina eratque Conradi Pellicani, nos infra evidenter demonstrabimus, de Pisaurensibus Bibliis anni 1494 et Turicensi ipso codice inter supposititias editiones acturi. Integerrimum nos ac praestantissimum, mul-

to tempore magnoque studio frustra conquisitum, nuperrime tandem fuisse adeptos in Disquisitione nostra de heb. typ. orig. pag. 50 testati sumus, ex quo multo pleniorem horum Bibliorum notitiam suppeditavimus, quam antea le Longius, Wolfius, Opitius, Orlandius, Maittairius, fecerint, qui brevissime illa recensebant. Priori illi exemplari nonnulla alia accesserunt deinceps feliciter eruta, non integra ea quidem, sed aliunde pretiosa. Est enim in horum numero unum priores Prophetas complectens, membranaceum, hucusque unicum, quia reliqua omnia sunt chartacea. Bina extant quae verum continent nostrorum Bibliorum Pentateuchum in ceteris exemplis eliminatum diroque anathemate perculsum.

Etenim Pentateuchus qui in exemplaribus hucusque notis servatur, non est verus ac proprius horum Bibliorum Pentateuchus, ut communiter creditur, sed Pentateuchus cum Aphtaròth hoc eodem anno judaico 254 ac nostro 1493 exeunte Brixiae seorsim excusus, ut patet ex variorum nostrorum exemplarium collatione, cui novum hoc εὕρημα debemus. Verus ac proprius Pentateuchus, doctis adhuc ignotus vixque in mutilo aliquo exemplari delitescens, a priori illo est quoad textum diversissimus, quumque mirum in modum, in plenis potissimum ac defectivis, a communi textu receptisque masorae legibus discedat, immanis haec ac gravissima dissensio effecit, opinor, ut in plerisque exemplaribus, eo reprobato et obtruncato, Pentateuchus alter paucis ante mensibus impressus qui erat accuratior et conformior, et forma, charactere, titulis, lineis perfectissime concordabat, recisis Aphtaròth seu propheticis sectionibus, a Judaeis substitueretur. Ad horum exemplarium classem qui compactum sistunt Pentateuchum an. 1493, pertinet primum meum integrum ac luculentum, quo utor, unde veras lectiones Bibliorum Brixiensium ex posterioribus illis mutilis debui eruere. Pertinet et eandem classem exemplar Berolinense, quo usus est Schulzius ac Kennicottus, ac propterea lectiones quas ipsi ex hac parte depromunt, non ad integra Biblia, sed ad Pentateuchum an. 1493 sunt amandandae, ut monuimus in Prolegomenis ad varias Lectiones V. T. pag. CXXXIX, et ad Deut. II 7, et VII 13. Ad eandem classem videtur etiam pertinuisse exemplar Edzardianum, quod satis accuratum ac cum sequentibus editionibus quae Jacobi ben Chaiimi Biblia praecesserunt, conforme Opitius reperit, nec dubitandum, quin pertineat Turicense, cujus lectiones, facta collatione, adamussim cum Berolinensi congruunt, teste Kennicotto in Dissert. generali ad cod. 396.

Ut accurate utrumque exemplarium genus seu uterque Pentateuchus distinguatur, nos hic potiora quaedam discrimina subjiciemus, quae inter illos intercedunt. Horum primum ac praecipuum situm est, ut diximus, in plenis ac defectivis. Plerasque lectiones plene exhibet Pentateuchus integrorum Bibliorum, defectivas Pentateuchus anni 1493. In hisce lectionibus ille ab hodierno ac masorethico textu saepissime ac longissime discrepat, hic saepissime ac quammaxime conspirat. Ex initio Exodi ac Numerorum, quod

facile ab unoquoque conferri potest, exempla proponimus. Exodi I 7 Pentateuchus Bibliorum plene legit אותם sicque v. 10 שונאינו, 11 ענותו et פתום, 12 אותו et יפרוץ, 14 בחומר et עבודה, 15 למילדות et העבריות etc., Pentateuchus 1493 omnia defective. Num. I 2 prior ille אבותם et לגלגלותם, 3 אותם, 9 חלון, 11 גדעוני, 16 אבותם, 17 בשמות, 18 משפחותם, אבותם et לגלגלותם, quae singula et alia hujus generis infinita defective in alio leguntur. Alterum discrimen positum est in ipsa textus distributione, quae quamquam in singulis paginis ac lineis sit perfecte eadem, in binis tamen editionibus diversis ex diversis codicibus formatis non ita semper et in omnibus possunt congruere, ut alicubi in minimis rebus non discrepent. Sic commemorato primo Exodi capite v. 7 Pentateuchus integrorum Bibliorum habet וירבו sub finem 4 lineae, Pentateuchus 1493 sub initium 5, v. 10 ille פן־ cum makkàph, quod in altero deest, v. 12 ante אותו custodem א, qui in secundo abest, Num. I 4 in posteriori א vocabuli אבתיו extra lineam. Plura non congerimus. In v Meghillòth eadem plenarum ac defectivarum varietas. Cantic. I 6 plene שחרחורת et נוטרה, 7 כעוטיה, 8 גדיותיך et הרועים, habet Pentateuchus Bibliorum, defective alter. Eadem custodum ac spatiorum discrepantia. Sub finem Ecclesiastis סימן יתקק charactere expressum est quadrato in priori Pentateucho et deest in hac pagina titulus libri, charactere rabbinico in posteriori et titulus adest. Tandem in primo explicit Esther pagina recta, ac versa alba relinquitur, in secundo versa pagina incipiunt Propheticae sectiones. Ex quo uno criterio, si Meghillòth pertinent ad proprium Pentateuchum ac nulla est in iis confusio, cujus generis sit Pentateuchus ipse vel Bibliorum Brixiensium exemplar, illico dignoscitur.

XLIX

Prophetae priores, seu Josue, Judices, Libri Samuelis ac Regum cum chaldaica Jonathanis Paraphrasi ac Commentariis R. David Kimchì et R. Levi Gersonidis in fol. Leiriae an. CCLIV, Christi MCCCCXCIV.

Eos brevissime recensent le Longius Biblioth. sacr. tom. I pag. 75, Wolfius Bibl. heb. tom. II pag. 397, Orlandius *Orig. della Stampa* parte I p. 214, et II p. 296, et Maittairius Ann. typ. tom. I p. 323. Sed omittunt omnes chaldaicam Paraphrasim et Gersonidis Expositionem, quas in hac editione locum habere tum ex Parisiensis bibliothecae Catalogo, qui utramque commemorat, libros Regum describens tom. I pag. 19 num. 275, tum ex le Longio ipso qui in II vol. Ralbagianum Commentarium hoc ipso anno Leiriae prodiisse constituit, olim colligebam De hebr. typ. orig. p. 54. Luculentius nunc id eruo ex binis exemplaribus quae jam in manibus meis sunt, mutilis iis quidem sub initium ac finem, sed quae ad suppeditandam certiorem ac fusiorem editionis, rarioribus sane annumerandae, descriptionem optime conferunt. Sacer textus ac Jonathanis Targum medium occupant locum binis columnis divisi, excepto Deborae Cantico in libro Judicum, quod alternis paginis distribui-

tur. Prior ille in interiori margine, alter in exteriori, charactere uterque quadrato hispanico, cum punctis et accentibus, hinc inde vero rabbinicis typis hispanicae formae Kimchii ac Gersonidis Commentarii, qui praeposito cuique majoribus litteris auctoris nomine distinguuntur. Elegans est character sacri textus, paullo minor charactere Pentateuchi Ulyssiponensis anni 1491, sed targumico nostro major, iidem autem omnes, etiam rabbinici, cum iis, quibus excusa sunt Proverbia cum Commentariis Gersonidis ac Meirì anni 1492 loco non memorato, quem constat jam ex editione nostra Leiriam fuisse. Eadem vel fere eadem est etiam editionis ratio, extant in superiori margine tituli librorum, Josue excepto, in quo sola interpretum nomina aliquando comparent, lineola raphè consuetae litterae ornantur, quaedam ut mos est, dilatantur, Kerì circello innuitur, nullae majores initiales litterae vel dictiones, initio tamen Judicum, quod occurrit signatura א א', seu XI plagula, ornatus libri titulus praemittitur. Plagula XXII incipit Samuel, cujus libri, ut bini Regum, unicum tantum constituunt. Ad calcem librorum adest summa versuum, in Josue paullulum discrepans, ubi dicuntur סדרים esse XIX, non XIV, ut habet summa communis et hodierna.

Editio habet quidem criticum suum usum suasque egregias lectiones, ut patet ex nostra collatione, unica est etiam aliquando inter editiones in iis servandis, ut II Reg. XI 3, et XVII 4, sed non ea diligentia a Leirensi typographo est elaborata, qua debebat, nec ea profecto quam in editionibus suis impendebant Ulyssiponenses. Interdum integra verba omissa, quandoque integri versus, ut I Sam. XIV 1, Josue vero XV et XVI transpositae sunt paginae sub praelo, ac folia male impressa. Quod spectat ad anni ac loci notam, non dubito quin le Longius, quem reliqui omnes sequuntur, eam ex Parisiensi exemplari, seu ex libris Regum, quos continet, ad quorum calcem ea debet reperiri, desumpserit atque accurate descripserit. Ex nostris enim quod Reges exhibet, sub finem deficit, mirandumque est summopere Kennicottum qui Parisiensi exemplari usus est, ex eo integram epigraphem nobis non dedisse ad cod. 263, quo nostra haec editio seu postrema ejus pars in ejus Bibliis indigitatur. Si scriptores reliqui, ut vidimus, in recensione Gersonidis Commentarium omiserunt, Marchandus contra *Hist. de l'impr.* p. 88 eum solum nominat ex posteriore le Longii loco p. 827, qui aliunde Wolfii oculos videtur penitus effugisse, nullibi enim sub eo auctore illum protulit. Quod Maschio Biblioth. sacr. tom. I p. 136 exciderat, hebraicum textum in hac editione sine punctis esse expressum, illud in Appendice nostra ad illam Bibliothecam p. 30 emendavimus. Quod vero conjicit Maittairius tom. I pag. 303, immo non dubitat, quin typographi Leirenses fuerint Soncinates, vix confutatione eget. Soncinates nunquam in Lusitania fuerunt aut ullos illic libros excuderunt, totoque caelo eorum editiones a Lusitanis ac Leirensibus differunt. Ad hanc porro editionem certo pertinet exemplar Josuae et Judicum cum Targum et Commentariis

Kimchii ac Gersonidis, quod extare in bibliotheca Academica Upsaliensi inter libros a Benzelio CPoli emptos monet Wolfius tom. IV pag. 137 ac repetit Maschius tom. I pag. 137. Quam ob rem ad Leirensem ab utroque auctore revocanda erat isthaec editio, non ut diversa, seorsim afferenda.

L

R. Jacob ben Ascèr Arbà turìm seu IV ordines in fol. CPoli an. CCLIV, Christi MCCCCXCIV.

Inter ceteras editiones hujus operis CPolitanam hanc profert Wolfius tom. III p. 446 et 447, et IV pag. 865, subdens posteriore hoc loco eam nuper oculis se suis vidisse in bibliotheca Oppenheimeri curatam in folio per R. David bar Nachman (lege Nachmias) et R. Scemuel fratrem ejus, qui vocantur אומנים seu artifices typographici. Eam confirmat ejusdem bibliothecae Oppenheimerianae Catalogus anno 1782 a Seligmano Hamburgi editus folio 15 verso, qui et eundem annum רנד, seu 254, illi assignat. Patet etiam, si Wolfio credimus priore loco, ex calce CPolitanae editionis anni 305, Christi 1545, CPolitanam aliam extare ea antiquiorem, quae nostra haec est anni 1494. Fateor tamen mihi suspectam adhuc esse hanc editionem, ut erat novemdecim abhinc annis, quum Disquisitionem edidi de hebraicae typographiae origine, ac suspicari jugiter mendum aliquod in supputatione cubare quo ad seriorem aetatem ac XVI seculi initium illam amandare cogamur. Bini hi fratres, David et Samuel filii Nachmias, non Nachman, ut habet Wolfius, CPoli imprimebant ineunte tantum XVI seculo, ac Wolfius ipse qui de priore agit tom. III p. 201 et de ejus editionibus, nominat ut antiquiorem Abarbanelis Nachalàd avòth anni 1506, nostramque omittit, quae illam longe praecessisset. Anno 1505 excuderunt illi Pentateuchum cum Targum et Commentario Jarchii, anno 1506 praeter Nachalàd avòth bina alia Abarbanelis opera, Zèvach pèsach et Rosc amanà, nec non Jachiae Lescòn limudìm, anno vero 1509 Maimonidis Jad chazakà, quae omnes editiones apud nos extant. Sed exeunte sec. XV nullus ab iis editus est liber, immo nullus CPoli, quaeque huic urbi attribuuntur ejus aetatis editiones reliquae, eae falsae omnes sunt ac supposititiae. Contuli autem editionem CPolitanam anni 1545 quae in fronte sexta dicitur et perfecta per typographorum minimum Eliezerem filium Gersonis Soncinatis, ad calcem vero absoluta feria VI die XVII mensis ellul illius anni, sed nullam reperi mentionem antiquioris editionis, et dato quod fiat, nullus exprimitur annus, et ex sola conjectura a Wolfio creditur anni 1494. Atque extat reapse in Bodlejana praeter editionem anni 1545 CPolitana altera sine mentione anni, teste illius bibliothecae Catalogo ac Wolfio tom. I p. 583. Nisi ergo tertia aliqua CPolitana editio admittatur hucusque ignota, editio illa sine anno erit proculdubio haec nostra filiorum Nachmias. Nec ea est Wolfii fides ac testimonium, ut secure acquiescamus et dubitationem omnem eximat. Alias enim editiones ait se vidisse in bibliotheca Oppenheimeri quae sunt falsissi-

mae. Nec longe quaerenda exempla. CPolitanam illam secundam anni 1545 testatur in I volumine se in ea bibliotheca vidisse et esse anni 300, Christi 1540, quem deinde in III vol. emendavit. In eodem I vol. pag. 661 et III p. 570 notat se in eadem bibliotheca CPolitanam alteram editionem vidisse operis Alphesì hujus ejusdem anni 254, Christi 1494, quae ut infra videbimus, falsa est et anni 1509. Idem ergo erratum a Wolfio committi potuit, quodque de proprio Nachmanis nomine pro Nachmias in hac eadem referenda epigraphe commisit, quamquam leviusculum, sat ostendit eam non fuisse diligenter collatam. Idem dicendum de Seligmanni Catalogo, cujus non pauca extant in aeris errata in hisce nostris Annalibus detecta. Nec necessaria est haec editio ad numerum quinque editionum quae CPolitanam 1545 praecesserunt, quum aliae a Wolfio omissae ejus vicem supplere queant, ut observabimus in Parte III ad Sonc. ed. 1481. Quamobrem vellem a docto aliquo Oppenheimeri vel Seligmanni exemplar iterum studiose conferri et examinari, ut hujus editionis veritas certius pateat, de quo et possessorem ipsum enixe rogavi per litteras, sed nullum tuli responsum.

MCCCCXCVI

L I

Selicòth seu Preces pro remissione peccatorum, in fol. Barci in provincia Brixiana anno CCLVII sexti millenarii, Christi MCCCCXCVI.

Ad earum classem quas post editam Disquisitionem nostram de heb. typ. origine feliciter deteximus, pertinet et perrara haec editio, cujus nulla in Wolfio aliisque bibliographis extant vestigia. Sed desunt in meo exemplari, hucusque unico, sub initium bina folia. Charactere quadrato majori germanico cum punctis exaratus est textus Selicòth, minore ac sine punctis quae iis subjiciuntur, hancque ad calcem exhibet typographi notam: היום יום ה׳ שמנה ימים לחדש תשרי שנת נזר לאלף הששי השלמנו בע״ה הסליחו׳ על הסדר ביד ה׳ הטובה עלינו התאמצנו בהגהתם ובגירסתו׳ אמתיות והמלאכה היא תפאר עושיה לפני ה׳ ואנשים יודעי דת ותורה והיתה השלמתם פה ברק אשר במדינת ברישׂ׳ ע׳ צעיר המחוקקים גרשם בהרר׳ משה ז״ל הנקרא בלא מענצלן שונצין יצו כן יעזרהו ה בחמלתו להתחיל מסכת סנהדרין ולהשלימה עם שאר ספרי קדש וזכות לומדיה׳ יעמוד לנו ולכל ישראל ישמע שמועה טובה בביאת גואל ובנין אריאל אמן „ Hodie feria V die VIII mensis tisrì an. CCLVII sexti millenarii absolvimus, Deo dante, Selicòth juxta ordinem. Secundum auxilium vel directionem Domini optimam super nos confirmavimus nos vel strenue nos gessimus in correctione illarum et in lectionibus veris, opusque ipsum cohonestat ejus artifices coram Domino et viris peritis religionis ac legis. Fuit autem finis earum hic Barci quod est in provincia Brixiana per manum minimi typographorum Gersom filii sapientis R. Mosis fel. mem. qui germanice appellatur Mentzlen Sontzin, quem Deus custodiat. Ita adjuvet enim Dominus pro clementia sua, ut incipiat tractatum Sanhedrin eumque absolvat cum reliquis libris sanctis, et meritum discentium illos nobis maneat et universo Israel, ut au-

diat nuncium bonum de adventu redemptoris et aedificatione arielis amen „. Locus ille ברק est proculdubio *Barco* prope *Orzi nuovi* in Brixiensis provinciae confinibus situs, ac Soncino, typographi nostri patriae, proximus. Ceterum in precum contextu plurima hic occurrunt adversus Christianos directa quae in nostro exemplari sunt atramento deleta, in hodiernis vero editionibus eliminata. Plura inter haec quae Gerson ipse in alia sua editione quae apud me extat, non minus ignota ac rarissima, quam Pisauri initio XVI seculi vulgavit, penitus sustulit. Horum multa sistit precatio אני יום אירא, quorum vacuum tantum spatium in Pisaurensi relinquitur, impressis tamen, quod singulare, eorum punctis ut facilius supplerentur. Alia non pauca ea quae incipit אל ימעט, ac potissimum integrum illum locum, quem in Animadversionibus ad Theriacam jud. p. 347 profert Wulferus, nosque hic speciminis gratia ex editione nostra, sed paullo diversum ac pleniorem, ut in ea habetur, repetimus: העל אלה תתאפק באומה טמאה. ברקך מהבריק עליה וכחך להראה. שבר מדמה חיציך וחרבך הבריאה. מחלבה ומבשרה שבוע איה וראה. ונקמה הכתובה עליה תקרב ותבואה. אימתך על כל גוי לנשאה. „ An super his contineas te contra nationem impuram, fulmina tua quin contra eam immittas, et potentiam tuam ostendas? Intinge ejus sanguine sagittas tuas, gladiumque tuum validum illius adipe, et de ejus carne satia cornicem et accipitrem. Et vindicta contra eam scripta accelleret, veniatque terror tui super omnem gentem ut sumas illam „. Sola tria priora vocabula in secunda editione retenta, reliqua sublata, ut sublata sunt in Selichà אלהים אל דמי bina impia verba יחום הזימה *foetum sceleris*, quibus sanctissimum Servatorem nostrum innui et impeti testis est apud eundem Wulferum pag. 43 ms. codex Norimbergensis, aliaque passim in aliis precum formulis quae nos gravissime offendebant ac provocabant. Egimus hucusque de editionibus quae certa anni nota ac significatione sunt insignitae. Agamus nunc de iis quae ea carent, sed quae ejusmodi sunt, ut dubitari nequeat quin ad hebraicae typographiae primordia ac XV seculum sint et ipsae referendae.



ANNALIUM
HEBRAEO-TYPOGRAPHICORUM
SEC. XV
PARS II
EDITIONES ANNO DESTITUTAE.

I

R. *David Kimchì Commentarius in Isaiam ac Jeremiam, in fol. sine anno et loco.*

Partem hanc auspicamur ab incognita alia paucisque abhinc annis a nobis detecta editione, quae omnes praesefert notas antiquioris ac primissimae aetatis. Incipit a Kimchii praefatione, praemissis consuetis versibus, qui breviores hic exhibentur quam fiat in Soncinensi. Character rabbinicus antiquus, rudis, formae hispanicae, praeter initialia verba sacri textus, quae quadrato sunt exarata, sed rudiori et inaequali. Pagina integra, lineis constans 33, nullis numeris, signaturis, titulis insignita, litterarum compendia saepe duabus vel tribus lineolis indicantur, sigla ineffabilis Dei nominis plane singularis et eadem quae in Regiensi Jarchii Commentario anni 1475. Ad calcem Isaiae legitur: תם ונשלם שבח לאל בורא עולם בריך רחמנא דסיען מריש ועד כען .. *Finitus est et absolutus. Laus Deo creatori seculi. Benedictus misericors qui adjuvit nos a principio usque nunc.* Sub finem vero totius editionis quae foliis 160 absolvitur, repetuntur prioris hemistichii verba, deinde verò ms. haec nota in meo exemplari subjicitur rabbinicis litteris expressa orientalibus valde contortis et implexis, lectuque summopere difficilis: אני שלמה בן כבוד החכם השלם הרופא הרב ר׳ מאיר שאטבי הזקן ז״ל קניתי זה ספר מפרוש קמחי מישעיהו וירמיהו ע״ה מאת אשר בן זרח נ״ע בסכום ג׳ קארליני מכסף שני ימים לירח אדר משנת ר׳נ׳ו׳ ליעקב שמחה ברומה ולזכרת ולראיה חתמתי שמי פה אני שלמה שאטבי „ Ego Salomon filius cl. sapientis perfecti ac medici, doctoris R. Scatavì zachèn, seu senioris fel. mem., acquisivi hunc librum Commentarii Kimchii in Isaiam ac Jeremiam, super quo sit pax, ab Ascer filio Zerach, cujus requies sit in paradiso, pro summa 3 carlinorum argenti, die II mensis adàr anno *Canite*

(CCLVI, Chr. 1496) Jacob *laetitiam* (Jerem. XXXI 7) Romae, et pro justitia ac ratione obsignavi hic nomen meum, ego Salomòn Scatavì „. Quamvis character hic in nulla alia editione, saltem nota, XV seculi compareat, ex ejus tamen forma propius ad hispanicam vergente, et ex chartae signo conjici potest eam verosimilius in Lusitania lucem vidisse. Idem enim chartae signum, seu manus extensa et flos ex ea pendens, conspicitur in editionibus Iscàr, Ulyssiponis ac Leiriae, quae in Lusitania prodierunt.

Antichristiana loca servat intacta et quidem pleniora quoad nonnulla verba, quam exhibeat Soncinensis ipsa editio quae hucusque omnium integerrima habebatur. Exemplo sit locus Isai. XLIX 6, quem jam observavit Pocockius deesse in Bibliis rabbinicis Basileensibus ac Venetis et ex mss. codicibus restituit in Notis miscellaneis ad Portam Mosis pag. 318 ed. Lips. Editio haec princeps sic plene eum legit: (sic) הנוצרים שמפרשים פסוק אלה על התלוי שאומ׳ שהוא היה לאור גוים שהאיר עיני העמים עד קצה הארץ. אמור להם כי אם הוא אלוה אינו עבד ועוד שאמר אלהי היה עזי לא היה לו עוז מעצמו אם כן אינו אלוה ואיך האיר עיני הגוים באמונתו עד קצה הארץ והנה אינם באמונתו רוב הגוים כי ישראל וישמעאל אינם באמונתו „ Christianis vero qui interpretantur hos textus de Crucifixo, dicentes ipsum fuisse in lumen gentibus, quod populorum oculos illustraverit usque ad finem terrae, dic eis, quod si ipse est Deus, non est servus, et rursus quum dixerit Deus meus fuit fortitudo mea, non erat ei fortitudo a semetipso. Quod si ita est, ipse non est Deus. Quomodo autem illustravit oculos gentium fide sua usque ad finem terrae, quum ecce maxima gentium pars non sequatur fidem ipsius? Israelitae enim et Ismaelitae ejus religionem non amplectuntur „. Extant haec verba tum in mss. Pocockianis, tum in meis 1004, 1070, et 1184, quamquam cum exigua lectionis varietate. Nam meus 1070 pro תלוי legit ישו *de Jesu* et 1184 על אלהיהם *de Deo suo*. Sed Soncinensis editio, ut et Pisaurensis an. 1516 Christianorum et Crucifixi vel Jesu vocabula omittunt. In uno ex nostris codicibus, videlicet in 1173, integer hic textus omittitur, contra Pisaurensis editus quoddam hic inserit additamentum a Pocockio relatum p. 319, quod non modo bini Oxonienses ab eo producti, sed et mei omnes respuunt.

II

R. Jedajae Appeninì Bechinàd olàm seu Examen mundi, in 4. min. sine anno et loco, sed Mantuae circa an. CCXXXVI, Christi MCCCCLXXVI.

Mantuae Conatus imprimebat an. 1476, ut patet ex Orach Chaiim hujus anni, quem et primum videri ejus foetum ex typographicae artis laborisque summi a se in ea addiscenda impensi descriptione, quae in epigraphe fit, animadvertimus, nisi quis malit, subjeci, illum vulgandi primi speciminis gloriam uxori reliquisse. In hoc enim libello Conati quidem typis, sed ab ejus uxore aut sub ejus nomine saltem excuso lineae ac paginae adeo sunt inaequales, modo breviores, modo longiores, ut vel artis adhuc nascentis, vel muliebris ingenii rem supra vires tentantis specimen debeat ha-

beri. Constat editio foliis 20, ac quaelibet integra pagina lineis 23. Praemittitur textui titulus, sed nulla major vel initialis littera in toto opusculo conspicitur, hacque explicit nota: אנכי אשטלינה אשת אדני אישי הנכבד כמר' אברהם כונרת' יז"א' כתבתי זאת האגרת בחינת עולם עם עזר הצעיר יעקב לוי מארץ פרוונצה מטרשקון יחי אמן „ Ego Estellina uxor domini mei, viri mei clarissimi, domini Abrahami Conati (videat is semen ac producat dies suos amen) scripsi hanc epistolam Bechinàd olàm opitulante minimo Jacobo Levi Provinciali Taraconensi, qui vivat amen „. Eruditas ex Hebraeorum gente foeminas extitisse, et inter eas etiam quae typographicam artem exercuerint, sat ostendit Zeltnerus in v Dissertationibus hac de re Altorfii editis anno 1717 jamque observavit cl. Tychsenius in Tentamine de variis codicum hebr. generibus p. 16 editionibus ab illis curatis aliam Orcòth tzadikìm Sulsbacensem an. 1691 esse addendam, ut addenda est nunc nostra haec bibliographis omnibus ignotissima. Fuisse etiam antiquis temporibus doctas Judaeas quae sacros ipsos codices calamo describerent, aperte evincit talmudicorum doctorum decretum in tractatu Ghittin et Menacòth de iisdem codicibus latum, eos nimirum pro prophanis esse habendos et illegitimis.

Vix detecta est a me editio haec Soncinensi antiquior, quae antea a bibliographis tamquam omnium princeps praedicabatur, quod in addendis ad Commentarium de typographia hebraeoferrariensi pag. 108 illud monendum censui, ut honos hic quem ego ipse in eodem Commentario p. 23 Soncinensi detuleram, Conatianae jam tribueretur. Vixque epigraphem legi, quod vidi gravissimum errorem doctissimis viris, Bencinio, Wolfio, Pasinio, excidisse. Qui enim ex Bencini Catalogo a Wolfio profertur tom. IV pag. 827 ms. codex bibliothecae Taurinensis A I 1, *ubi in calce Estelina uxor Abrahami poetae monet se epistolam hanc scripsisse adjuvante nobili Jacobo Levi*, is nostra est ipsissima editio, in qua conceptis verbis haec leguntur, praeter adscititium illum poetae titulum, qui ex Conati cognomine effictus est male lecto vel interpretato. Quem errorem in edito Catalogo p. 21 ad cod. LIX, a 1 2 non sustulit, sed confirmavit Pasinius, aliisque nonnullis auxit, notans eum charactere esse exaratum quadrato, qui est semirabbinicus, scriptum cum auxilio *junioris* Jacobi pro *minimi*, de terra פרונה pro פרוונצה, quod quid sibi vellet, ignorans, una cum Conati cognomine in latina versione omisit. Emendandus est et R. Jechiel, recens auctor Seder adoròth, qui omisso sub R. Jedajà Appeninì hoc libro, eum tribuit R. Jacobo Badrescitae. Nota tandem nostrae editionis textum a Soncinensi aliisque editionibus saepe diferre, multasque, et insignes varias lectiones complecti.

III

R. Levi Gersonidis Commentarius in Pentateuchum, in fol. sine anno et loco, sed Mantuae ab an. CCXXXVI ad CCXL, Christi MCCCCLXXVI ad MCCCCLXXX.

Reliquae Conati editiones, quae Orach chaiim successerunt, ab an. 1476 ad 1480 prodiisse censendae

sunt, et Mantuae quidem omnes, ubi certo jam ex prioris illius libri epigraphe scimus illum typographiam suam fixisse. Nostra haec duabus columnis est disposita, quaelibet vero columna lineis 42, character idem qui in Orach chaiim, eaedem litterae quadratae majores quibus exarati sunt librorum ac sectionum tituli. Sub exordium praefationis, a qua opus incipit, amplum spatium relinquit, quo prima dictio אמר ornata vel picta debebat comprehendi. Paginarum tituli, custodes, signaturae desunt, foliisque absolvitur 408, ac sequenti typographi clausula:
אמר אברהם כונת׳ בכמר שלמה כונת׳ זלהה׳ הנסמך זעירא דמן חברייא הכותב בכמה קלמוסים . בלא מעשה נסים ישתבח בעל הרצו׳ אשר זכני להתחי׳ ולהשלים זה הספר אשר השתדלתי במעשהו למעלתו ותועלתו ויקר תפארת גדולתו בביאור דברי התורה האלהי׳ עם הנכבד ומיוחס למשפחתו חרד בפנים מאירים להגדיל ספרי׳ יקרי׳ מספירי׳ הלא הו׳ כמר׳ אברהם ידידיה האזרחי יצו׳ מקולוניא אשר אלי פיו קרא להשתתף עמו לעשו׳ זאת המלאכה מלאכת הקדש כיד הש׳ הטובה עלי השם למען רחמיו הגדולים יזכנו להשלים כוונתנו ויקיים עלינו קרא הכתי׳ יתן לך כלבך וכל עצתך ימלא וכן יהי רצון
„ Dicit Abraham Conatus filius domini R. Salomonis Conati felicis recordationis, promotus minimus eorum qui rabbinorum socii initiantur, multis scribens calamis absque ullo miro opere. extollatur dominus beneplaciti qui dignum me fecit incipere et absolvere librum hunc, quem ego perficiendum curavi ob excellentiam ejus, et utilitatem, eximiamque magnificentiam amplitudinis illius in expositione verborum legis divinae cum viro egregio ac genere clarissimo, qui sollicitus est modis illustribus vel splendidis ut promoveat libros saphiris pretiosiores. Annon est ipse dominus R. Abraham Jedidià Ezrachì, quem Deus servet, de Colonia, qui me accersiit ut socium me illi adjungerem ad faciendum hoc opus, opus sanctum, juxta manum vel auxilium Dei optimum super me? Deus misericordiis suis magnis dignos faciat nos perficere quod intendimus, confirmetque in nobis textum illum qui scriptus est, *dabit tibi secundum cor tuum et omne consilium tuum adimplebit*. Ita illi placeat „.

Praeter hanc varias alias ad finem cujuslibet libri auctoris editio servat epigraphes, quae tempus respiciunt eorum compositionis. Prima Genesis sectio dicitur absoluta anno 88 sexti millenarii, integer liber Geneseos et Exodus an. 90, Numeri ac Deuteronomium an. 98. Quae omnes epigraphes non modo in mss. nonnullis codicibus, ut meo 157 aliisque, leguntur, sed et in editione Veneta Cornelii Adelkindii anni 1547, ita ut mirer vehementer in Wolfio nulla earum vestigia reperiri, qui illùd unum monet ex Ganzii fide ac testimonio Pentateuchum Gersonidem absolvisse anno 5090, Christi 1330. Quod de ejus parte, ut vidimus, verum est, de integro Pentateucho falsissimum. Nos singulas compositionum epochas omnium Gersonidis operum, quae a bibliographis vel profunde ignorantur, vel male referuntur, ex certis nostrorum codicum notis producimus ad cod. nostrum 47, ex quibus aperte ac validissime refutatur, quod de breviori auctoris nostri vita annorum 32 tradit Luzzatus in italico opere De statu Ju-

daeorum pag. 79. Extat et inter illas una codicis 836, quae verum ejus nativitatis annum 5048, Christi 1288, hucusque ignotum, detegit, a quo ad solum an. 98, quo Gersonides Commentarios in Numeros, Deuteronomium, libros Samuelis, Proverbia ac Danielem edidit, praetergressi sunt anni 50, ad annum vero 130, quo testatur Zacutus in Juchasin fol. 133 verso Perpiniani obiisse, anni 82, qui veram illius aetatem constituunt. Praeter bina quae in manus nostras devenerunt, exempla, tertium Romae in Collegio neophitorum servari videtur. Nec enim diversa a nostra hac, ut ego quidem opinor, est editio illa absque anno et loco, charactere quadrato et antiquo, quam illic extare monet Bartoloccius, etsi quadratus, ut diximus, nostrae character appellari non possit.

IV

Anonymi Lucòth seu Tabulae longitudinis dierum, in 4. min. absque anno et loco, sed Mantuae ante an. CCXL, Christi MCCCCLXXX.

Exiguae molis octoque tantum foliorum libellus quem in ms. quodam codice compactum casu inveni. Est ex antiqua Conati editione seu ejus typis exaratus, ac prorsus ignotus. Incipit pagina versa a praefatione, nullo praefixo titulo, quam tabulae ipsae excipiunt, ita distributae, ut quilibet mensis tres columnas contineat, quarum prima dies, altera horas longitudinis diei, tertia minuta exhibet. Bini menses qualibet pagina dispositi sunt, eorumque nomina columnis praefixa sunt italica, incipientes a מרצו seu *martio*, et desinentes ad פריבארו *februarium*. Idem auctor cum eo qui Nediv chochmà, seu *Semitam sapientiae*, et Librum achakirà, vel *perscrutationis* composuit, ut patet ex praefationis exordio. Primus liber est et ipse ignotus, posterior in Vaticana extat, eumque inter anonymos recensent Bartoloccius ac Wolfius tom. II p. 226. Testatur auctor se harum longitudinum vel brevitatum scientiam potissimum didicisse ex libro מראה האופנים Marèh ophanìm seu *Aspectus circulorum*, et ex אגרת הכדור *Epistola de sphaera*, seque duxisse has Tabulas concinnare, לדעת מהם ארך כל יום ויום מימו׳ השנה וקצורו כי זהו דבר נרצה מאד אצל המבינים כל שכן אצל ההמון ובעלי המלאכות אשר הם כוננו מעשי ידיהם לשעות *ut cognoscatur earum ope longitudo cujuslibet diei anni, et brevitas ejus, quod tum doctis, tum multo magis plebeis et artificibus gratissimum est, qui horis opera sua disponunt vel dimetiuntur*. De primo illo libro, unde profecit, qui est R. Salomonis filii Abrahami Avigador et Offenbaci editus, plura Wolfius tom. III pag. 1017.

V

R. Jehudae, dicti Messer Leon, Nòfed tzufìm, Distillatio favorum, seu Rhetorica, in 4. min. absque anno et loco sed Mantuae ante an. MCCCCLXXX.

Liber, iisdem Conati typis impressus, ab auctoris praefatione incipit, superposito titulo ac sex versibus, quibus excitantur homines ut instrumenta pulsent et cantica edant ob libri hujus compositionem qui elegantissima continet eloquia, estque revera, ut ejus nomen, *Distillatio favorum*. Quadratis litteris majoribus ac germanicis tum

titulus, tum capitum initia constant, paginae lineis 23, editio foliis 172, quorum postremo quaedam occurrit Conati epigraphe, ubi iterum se appellat minimum eorum qui copiam vel affluentiam faciunt, medicorum discipulum, promotum sociorum minimum, scribentem multis calamis absque ullo mirabili opere. In ea autem de laudibus summaque libri praestantia agit typographus, qua excitatum arripuisse se illum scribit atque exarasse calamis suis ut per eum de republica mereretur. Hinc orationem claudit, exoptans ut ingressus libri hujus in domum possessoris sit ei ejusque filiis in augmentum benedictionis, felicitatis, vitae, subjiciensque octo versus, quibus operis argumentum ac laudes repetit, Deumque universi celebrat, quod haec reperire fecerit, vel obtulerit auctori. Hanc editionem afferunt Buxtorfius filius in notis vel additamentis ad patris Bibliothecam rabb. p. 145, Scabtaeus p. 53, Bartoloccius tom. III p. 65, ac Wolfius tom. I p. 447 et III p. 333, sed errant omnes in assignando loco. Buxtorfius ac Scabtaeus absolute scribunt librum impressum esse Coloniae, ex pura ac futili conjectura. Nam ut Bartoloccius ac Wolfius animadvertunt, nulla in eo habetur loci vel anni mentio. Addit Wolfius in dorso exemplaris quod extabat in bibliotheca Oppenheimeri, Coloniam iterum tamquam impressionis locum fuisse designatam, quod recentiorem quemdam fecisse non dubito, Scabtaei auctoritate permotum. Qui illius bibliothecae, modo Seligmanni, Catalogum ediderunt, nullam ejus notae rationem videntur habuisse, qui illud ipsum exemplar recensentes fol. 30, hoc unice tradunt esse ex antiquissima editione. Nec accuratius conjiciebat Bartoloccius ex characteris ratione eam CPoli aut Thessalonicae esse curatam. Detecta enim nunc prima illa Mantuana Conati editione, lis quidem omnis de ejus domicilio et editionum loco est dirempta. Nostrae hujus varia exempla corrasimus, quorum tria apud nos extant. Habet et Vaticana, et ut ego quidem opinor, etiam Taurinensis inter mss. codices cum Bechinàd olam ex eadem Conati editione compactam. Nec enim dubito quin cl. Pasinii hallucinatio, quam supra animadvertimus, de posteriore hoc libro ab eo pro ms. habito, ad alium quoque librum Nòfed tzufìm sit transferenda, qui cum eo conjungitur, et est unius ejusdemque characteris. Ac valde verosimile etiam est, ac pene certum, exemplar R. Mosis Raphaelis de Aguilar quod tamquam ms. recenset ejus Catalogus p. 18, et ex eo Wolfius posteriore loco, esse et ipsum impressum et ad nostram hanc editionem pertinere.

VI

Josephi Gorionidis, seu Jossiffonis Historia judaica in fol. sine anno et loco, sed Mantuae ante an. MCCCCLXXX.

Conveniebant quidem in hac memoranda editione Bartoloccius, Ittigius, Albertus Fabricius, Wolfius, Basnagius, Breithauptus, Gagnerius, Prideaux, Maittarius, Calmetus aliique scriptores, sed quum male omnes CPoli adscriberent et anno 1490, ac CPolitanas duas editiones obtruderent, quae meo quidem judicio non existebant, alteram anni 1490, alteram anni 1510,

non ita olim eorum auctoritate ac consensione mihi probata est hujus editionis fides ac veritas, ut nullum dubitationi restaret locus. Etenim unam, inquiebam, CPolitanam nominat Bartoloccius, unam R. Scabtai in Sciftè jescenim, unam Morinus ac Simonius, unam sub Turcicae nomine R. Azarias de Rubeis in Meor enàim, unam denique Munsterus latinus hujus libri interpres et editor. Porro posterior illa anni 270 seu 1510, in dubium revocari nequit. Eam enim contulerunt Morinus, Simonius, aliique, et in privatis etiamnum Judaeorum bibliothecis reperitur. Contra de priori illa an. 1490 ita loquuntur auctores ipsi qui eam memorant, ut nunquam eam vidisse atque habuisse prae manibus videantur. Interim vero laudatus diligens et eruditus Judaeorum scriptor R. Azarias in III parte illius libri, seu Imrè binà, cap. XIX ac folio 87, de inauguratione quadam Vespasiani in caesarem Romae facta praesente Josepho quae libro VI Gorionidis narratur, sermonem instituens, *eam non invenietis*, inquit, *nisi in editione Turcica ex qua facta est Veneta. Nam in editione Germanica, ut et in duabus prioribus Abrahami Conati, nihil de ea habetur*. Omitto discrimen istud quod inter CPolitanam ac Munsterianam intercedit, cujus ratio aliunde potest derivari. At vero quaenam sunt praecedentes illae editiones Abrahami Conati Turcica antiquiores? Aliqua igitur erit editio, CPolitana illa an. 1510 vetustior, quae ipsissima nostra est anni 1490. Eo autem magis quod in editione an. 1510 in animadversione R. Tam quae ad calcem accedit, expresse dicatur, ut observat Wolfius, illam librum hunc perfectiori methodo quam ceteras priores editiones exhibere. Ad haec editoris aetas congruit, cui alias nos hebraicorum librorum editiones debere supra animadvertimus, certa rudiorum typorum, chartae etiam atque epigraphis fide ad XV seculum referendas. Parum abest, subjiciebam, quin in tanta auctorum dissensione tantaque rei obscuritate conjiciam aliquam revera editionem XV seculo, non CPoli quidem, ut creditum est, sed ullo absque loco et forte ullo etiam absque anno ab Abrahamo Conato factam fuisse. Ex Gersonidis namque Commentario ac Nòfed tzufim quos ipse vulgavit, constat eam fuisse hujus editoris consuetudinem et institutum, ut annum et locum omitteret. Quod Azarias ipse confirmare videtur qui Conati editiones recensens, vetustas eas tantum primasque appellat, nulla facta loci, nulla anni mentione. Haec conjecturae loco habeantur, donec peroptato ac felici eventu aliquod utriusque editionis exemplar consequamur, quo fiant planiora.

Est jam in manibus meis utraque editio, ac nostrae quidem quae magis interest, tria integerrima exempla, quibus quod annis abhinc novemdecim conjeceram, amplissime confirmatur. Ea est sane Abrahami Conati, cujus fusa ac luculenta extat ad calcem epigraphe, sed loci vel anni nullum vel minimum vestigium. Nec CPolitanus medicus erat Conatus, ut putat Munsterus, sed Mantuanus, nec CPoli ipse imprimebat, sed Mantuae, nec anno 1490, sed 1476, nullaque est ex ejus editionibus, quae ad seriorem eam

aetatem possit amandari, praeseferunt omnes certa remotioris antiquitatis nascentisque adhuc typographicae artis indicia. Idem in nostra, qui in reliquis, vetustus ac rudis character, eadem ratio, eadem criteria, nisi quod fiat in hac sub periodorum vel capitum finem usus punctorum, qui in praecedentibus nullus est vel saltem rarissimus. Incipit ab opere ipso, omissa prima dictione אדם, primisque codicis verbis, quae rythmicum libri titulum conficiebant, בשם האל רם ועליון אחל ספר בן גוריון *In nomine Dei excelsi et altissimi incipiam librum filii Gorion*. Quae antiqua manu luculentisque majoribus litteris formae germanicae in meis omnibus exemplaribus suppleta sunt in amplo spatio, quod ob id reliquerat typographus, praemisso minoribus litteris rabbinicis, quae Conatianas impressas perfectissime imitantur, vocabulo יוסיפון *Jossiffon*. Paginae binis constant columnis, columnae lineis 30, integra editio foliis 136, numerato albo, quod extat ad calcem. Nullae typographicae occurrunt notae, nulli numeri vel signaturae, charta spissa, margo amplissimus, longiorique hac explicit epigraphe, qua typographus auctoris et libri laudes, ejusque argumenta ac contenta fuse persequitur. אמר אברהם כונת קטן המשפיעים ותלמיד הרופאים הנסמך זעירא דמן חברייא בכ"מר שלמה כונרת זלהה' הכותב בכמה קלמוסים . בלא מעשה נסים . ראיתי לכתוב זה הספר הנכבד אשר חברו איש אלהים גבור חיל משוח מלחמה כהן לאל עליון . הנקרא יוסף בן גוריון . מלבד הספרים ספרי החכמות אשר חבר כי הוא היה ראש למחברים אחר שלמה המלך עה' אשר יספר בזה הספר באמרי שפר איך נפרדו כל משפחות האדמה איש על שמו לתולדתם לבית אבותם . וספור המלחמות אשר היו בין בבליים ובין רומיים והזמן והסבה אשר נרצף מנחשת כל קרקעי' נהר תיברו אשר ברומה מן השער ועד הים שהיה מהלך י"ח מילין . וספור מלחמו' מלכי פרס עם מלך בבל ואיך הומת בלשצר . ובו ספור גדולת דניאל בעיני מלכי פרס וסבת גדלתו ומה שנמשך ממנה . והב' פעמים שהורד בגוב אריות . ואיך נתפרנס על ידי חבקוק הנביא . ואיך על ידו נהרס היכל ביל התעות הגדול שהיה בבבל ונהרגו כהניו וגם התנין הגדול אשר הרג במערה . ובו ספור סבת גדלת זרובבל בן שאלתיאל בעיני דריוש מלך פרס . והתפלה אשר עשו עזרא הסופר ונחמיא בן חכליה ומרדכי וישוע ושאר ראשי הגולה אל השם מפני האיש הקדוש' ואיך נמצאה כי אין ממשלה לכהנים להקריב אש זרה . ובו ענין אסתר המלכה ותפלתה והוא ספור נאה בתכלית . ובו גם ספור תולדת אלכסנדרוס הגדול באריכו' ודברי גבורותיו ובתחלה מעשה נקתניבור החרטום הגדול מלך מצרים . ובו גם ספור כל המלכים והקסרים אשר היו ברומה בזמן בית שני בשמותם וכל גבורתם . גם אהבתם . גם שנאתם . על מלכי יהודה בבית שני . והמלחמות הגדולות הנוראות אשר החלו לצמוח בעם יהודה בימי אנטיוכס . והמופתים אשר נראו אז בירושלם ומה שנמשך מהם . והקדושה אשר עשתה חנה אשה קדושה ויראת יי' עם שבעה בניה הקדושים . ובו ספור גבורת החשמוני' וענין חנוכה . וספור כל המלכים אשר מלכו בירושלם בבית שני . וענין ובנין אורודוס והגפן של זהב אשר תקן במקדש אלהינו שהוא ספור נאה בתכלית וכל גבורותיו והריגת אשתו המלכה ושלשה בניו . וענין אנטיפט' בנו וסופו . וספורי' רבים אחרי' נאים כספירים אשר נלאיתי לזכרם בזה המקום . וגבורת יוסף בן גוריון על עם יי' ועל מקדשו ואיך הציל עצמו ונפשו בחכמתו . והקינה אשר עשה על ירושלם ועל היכל יי' ועל עמו . ותוכחותיו עם אנשי ירושלם בימי אספסי' וטיטוס בנו ותפלתו

שעשה לאל לאדון כל הארץ וכל הנמשך עד חרבן בית מקדשינו שיבנה ויכון במהרה בימינו אמן . ברוך אל חי עליון נורא נתן לי אברהם עזרה לכתוב השלמת הספר יום תשעה וארבעי׳ לספירה .

„ Dicit Abraham Conatus minimus eorum qui affluentiam faciunt, et discipulus medicorum, promotus minimus sociorum, filius exc. R. Salomonis Conati fel. mem., scribens multis calamis sine opere miraculoso. Visum mihi est scribere, seu imprimere librum hunc eximium, quem composuit vir divinus, potens virtute, unctus belli, sacerdos Dei altissimi, dictus Joseph filius Gorion, praeter alios libros doctrinarum, vel variae eruditionis quos ipse edidit. Fuit enim princeps auctorum post Salomonem regem, super quo sit pax. Narrat autem in hoc opere stylo eleganti, quomodo divisae fuerint omnes familiae terrae, unaquaeque nomine suo juxta generationem suam et domum patrum suorum, et historiam bellorum quae fuerunt inter Babylonios et Romanos, et tempus et caussam qua ordinata sunt ex aere omnia pavimenta vel funda fluminis Tiberis quod Romae est, a porta usque ad mare per tractum vel iter octodecim milliarium. Item historiam bellorum regum Persiae cum rege Babyloniae, et quomodo interfectus est Balthassar, ubi et enarratur Danielis magnificentia coram regibus Persis, et caussa elationis ejus, et quod inde secutum est, et ut bis conjectus est in foveam leonum et nutritus per Habacucum prophetam. Et quomodo per illum dirutum est templum magnificum Belis, falsi numinis, quod erat Babylone, et necati ejus sacerdotes et draco magnus, quem is in spelunca interfecit. Refertur deinde hic caussa dignitatis vel honoris Zorobabeli filii Salathiel in conspectu Darii regis Persarum, et oratio quam fecerunt Esdra scriba et Nehemias filius Hachaliae, et Mardocheus et Jesus et reliqui principes captivitatis ad Deum pro igne sancto, et quomodo ille fuerit inventus, quum non possent sacerdotes admovere ignem alienum vel prophanum. Extat et pulcherrima reginae Esther historia, ejusque oratio, fusaque alia nativitatis Alexandri magni, resque ab eo fortiter gestae, ac primo factum Nectaneboris magi primarii regis Aegypti, ut et historia omnium regum ac caesarum qui Romae fuerunt durante II templo, expressis eorum nominibus, potentia, favore, odio cum regibus Juda qui ea aetate florebant, item bella magna ac terribilia quae emergere coeperunt in natione Judaica in diebus Antiochi, et signa quae tunc in Jerusalem apparuerunt, et quid inde evenerit. Actus etiam religionis quem fecit Anna, mulier sancta et timens Dominum, cum septem filiis suis sanctis, tum Asmonaeorum potentia, dedicationis celebratio, recensio omnium regum qui regnarunt in Jerusalem in templo II, res et aedificatio Herodis, aurea vitis, quam in sanctuario Dei nostri constituit, cujus historia est elegantissima, strenuaeque omnes ejus actiones, et interfectio uxoris ejus reginae ac trium filiorum, et factum Antipatris ejus filii ejusque finis, aliaeque historiae non paucae pulcherrimae sicut saphiri, quas taedet hic singulas commemorare. Virtus denique vel fortitudo Josephi filii Gorionis pro populo Domini et sanctuario ejus, et ut

seipsum suamque vitam liberavit sua sapientia, et lugubre carmen quod super Jerusalem, et super templo Domini ejusque populo edidit, illius increpationes cum habitatoribus Jerusalem in diebus Vespasiani ac Titi filii ejus, et oratio quam fecit Deo, domino universae terrae, cunctaque quae subsecuta sunt usque ad excidium templi sancti nostri quod aedificetur ac stabiliatur cito in diebus nostris amen. Benedictus Deus vivens, altissimus, tremendus, qui dedit mihi Abrahamo auxilium ut scriberem, seu imprimerem, finem libri die XLIX numerationis „ scilicet omer.

Instituta porro nostrae hujus editionis collatione cum CPolitana anni 1510, Veneta an. 1544, ac Gothana Breithaupti, observo insignem inter illam et has discrepantiam intercedere. Deest in nostra omnis librorum ac capitum divisio, in tribus illis editionibus non ex auctoris vel mss. codicum auctoritate, ut ex earum additamentis et interpolationibus perperam putat Wolfius T. I p. 518, retenta, sed ex solo editorum R. Tam et Breithaupti, ut editores ipsi fatentur, arbitrio ac mente introducta, multaque loca aliter in hac, et quidem saepe melius quam in aliis fiat, leguntur. In celebri testimonio de Johanne Baptista omittit nostra nomen כהן גדול *magni sacerdotis*, quod in reliquis Johanni tribuitur et difficultatem aliquam injicit, ac pro אשר נטבל *qui baptizatus est* multo rectius legit אשר עשה טבילה *qui baptismum faciebat*, vel *baptizabat*, unde Baptistae denominationem accepit. Accuratiora praesertim exhibentur plurima propria virorum, urbium, provinciarum, nationum nomina in communiori textu corruptissima, saepeque ea ratione qua docti ipsi conjecerant esse legenda. Alia vero non pauca recentiora, ut et loca plura interpolata, quae in aliis editionibus extant librique fidem et auctoritatem multum imminuebant, in Conatiana prorsus desiderantur, atque inter haec varia illa ac fusa testimonia, quae lib. I cap. XXI p. 65 ac seq. edit. Gothanae, et lib. II cap. XXIV pag. 157 aliisque in locis de seipso suisque libris habet Josephus, quae sane a primo auctore, quisquis is fuerit, qui Josephi nomen mentiebatur, nemo credet profecta. Desiderantur et bina postremi libri capita, desinens ad cap. LVIII libri VI. Quo factum est ut a plerisque bibliographis decurtata ac brevior Conati editio appellaretur.

Contra vero servat ea ad calcem additamentum quoddam, captivos ac caesos, selectumque Josephi domicilium vel sedem respiciens, quod abest a ceteris omnibus, nosque hic integrum suppeditamus: ויתן טיטוס פקידים על ההגרי׳ הישלמו אתו ויעזבום בארץ יהודה. ויהי מספר השבי אשר הוליך עמו טיט׳ צ׳ אלף ויהיו מספר הנופלים בירושלם בחרב וברעב כל הבאים בירושלם מרחוק ומקרוב והגלוים והנופלי׳ כלם כא׳ אחד אלף אלפי׳ ומאה אלף ושמונת אלפי׳ והשיב ברומ׳ ונתן לאביו אלף וה׳ מאות. ויעבור במעבר אשר יצא משם הימה ה׳ אלפים. ובשאר מדינות אשר בפולידה. ויתן אספסינוס לטיטוס בנו ארץ ארמיניאה. אפריקא וארץ ספרד. ויתן באשפיליה עיר ממלכתו היושבת על נהר ביט שלשים אלפים מלבד אשר נתן במקומות אחרים ויצו טיטוס להזהר לבלתי הרע להם ויאמר טיטוס ליוסף בחר לך מקום בכל ממלכתי לשבת ואתן לך. ויבקש יוסף האי

אשר ברומה מפארת דרום והיה לה סביב ומכל פיאה נהר תיברו ויבנה לו שמה בתים עם משפחתו ובית הכנס׳ להתפלל ובית הסדרש ללמוד שם . עד הנה קץ דברי ירושלם עיר הקדש ויהי רצון מלפני י״י אלה השמים שיקבץ נדחי עמו ישראל במהרה בימינו . אמן . תם ת״ל „ Constituitque Titus praefectos super Hagarenos qui pacem cum eo fecerant, illosque reliquit in Judaea. Fuit autem numerus captivorum quos secum deduxit Titus nonaginta millium, numerus vero eorum qui in Jerusalem gladio et fame perierunt, omnium quidem qui ex longinquis vel proximis regionibus in Jerusalem fuerant ingressi et adjuncti, decies centenorum millium ac centum et octo millium, reduxitque Romam ac dedit patri suo mille ac quingentos ac pertransire fecit vel traduxit in transitum vel vadum, quo hinc exiit ad mare, quinque millia, ut et in reliquas provincias quae sunt in Apulia. Dedit porro Vespasianus Tito filio suo Armeniam, Africam, et Hispaniam, collocavitque in Hispali urbe regni sui sita ad flumen Baetis triginta millia praeter illos quos disposuit in aliis locis, praecipiens ut sibi caverent ne ullum illis malum inferrent. Dixit autem Titus Josepho, elige tibi locum habitationis in universo dominio meo, eumque dabo tibi, petiitque Joseph insulam quae Romae est ad plagam meridionalem, undequaque a flumine Tiberis circumdatam, et aedificavit hic sibi domos cum cognatione sua, et synagogam ad orandum, et domum institutionis vel academiam ad discendum vel studendum in ea. Hucusque finis rerum gestarum Jerusalem urbis sanctae. Placeat jam Domino Deo caelorum ut congreget dispersos populi sui Israel cito in diebus nostris amen. Finitus est, laus Deo „. Congruit ergo Conati editio cum hebraico eo Gorionidis Compendio ms. anno 1461 exarato, quod solum excidium Hierosolymitanum describit et inter Huntingtonianos codices num. 345 deprehenditur, in quo teste Gagnerio ac Wolfio tom. I p. 521 in calce monetur, „ Titum Josepho dedisse insulam quamdam in Tiberi medio sitam in ipsa urbe Roma, in qua Josephus et domum pro familia sua et synagogam extruxerit „. In ceteris vero locis ac lectionibus potissimum congruit cum editione Munsteriana, exceptis tamen locis quibusdam, quae in nostra habentur pleniora, in Basileensi hiulca. Unus ex his extat lib. I cap. XXI pag. 64 ed. Gothanae, ubi legit nostra ובדרום ובכל ארץ כוש וכל היושבים באפסי הדרום ובמערב ועד ארץ ספרד ובצפון כל ארץ מוקדון וכל ארץ כפתור ויאדרע וכל ארץ אלאן ואלסר והרי אלרת הוא הר השור ועד הרי השלג אשר אין לעברם . „ Meridionalem quoque plagam et universam Aethiopiam, omnesque qui habitant in confinibus meridiei et occidentis usque ad Hispaniam, et ad septentrionem cunctas provincias Macedoniae, Cappadociae et Jadràh, item omnem regionem Alan et Alsar, et montes Alath, qui est mons Sur vel Taurus usque ad montes nivis qui pertransiri non possunt „. Multo sane plenius quam in Munsteriana legatur, quae intermedia non pauca omittit. Sed haec videntur a Munstero ipso repetenda qui ut initio ac fine multis capitibus editionem suam mutilavit, multo facilius id de quibusdam verbis vel periodis conjici

potest praestitisse. Non laedunt tamen haec vel tollunt maximam illam consensionem, quae est inter utramque editionem, quae quidem talis est ac tanta, ut dubitari jam nequeat, quin ex nostra hac suam hauserit Munsterus, ut recte conjiciunt Bartoloccius, Gagnerius ac Fabricius, non ex CPolitana anni 1510, ut contendunt Morinus ac Wolfius. Quod et Conati testimonium seu epigraphe a Munstero relata invicte confirmat, quamvis typorum forma, ut videtur, deceptus in eo erraverit quod editionem CPoli perfectam ac Conatum CPolitanum medicum crederet. Quod non novum esse in Conati editionibus quae anno et loco carebant, ut variis eae urbibus tribuerentur, in limine ipso nostrorum Annalium pag. 11 jam observavimus. Hinc communis illius erroris origo, quo CPolitana a fere omnibus bibliographis habita est nostra editio, binaeque CPolitanae ab iis confictae quae non existunt.

Nec mirum CPolitanam credi editionem antiquissimam, vetusto, inusitato, singulari charactere expressam atque in hanc sententiam plerosque concessisse qui eam non viderant. Illud mirandum Wolfium tom. I p. 516 in notis et p. 517, dum Azariae textum producit quem supra innuimus, fidenter ad eum appellare qui testetur binas illas CPolitanas editiones Abrahamo Conato deberi, ex ejusque verbis arguere ante CPolitanam illam anni 1490 Turcicam extitisse et utramque editionem Veneta priorem ab eodem Conato fuisse curatam. Tot ferme errores quot verba. CPolitana una est, unamque sub Turcicae nomine, non duas, Azarias commemorat, Turcica eadem cum CPolitana, nec ante CPolitanam Turcica ulla extitit, nec Turcica Mantuanam nostram, quam CPolitanam male appellat, praecessit. Azarias CPolitanam nullam Conato tribuit ejusque impressiones primas quidem vocat, seu antiquiores, nunquam CPolitanas, utriusque vero editionis Turcicae et Germanicae seu Basileensis, quae sunt Veneta priores, neutra Conato debetur. At vero binae ne extant Conati editiones? Ait enim Azarias וכן בשני הדפוסי׳ הראשוני׳ של אברהם כונת אין בו מימץ מנהו *sicque in duabus impressionibus*, vel *editionibus, typis, formis primis* vel *antiquioribus Abrahami Conati de ea nihil habetur*. Si auctoris verba de duabus diversis editionibus sumuntur, solus sane is est et unicus in iis referendis earumque fide et veritate adstruenda. Quotquot eum praecesserunt vel secuti sunt, Wolfio excepto qui in ejus testimonio acquiescit, unicam commemorant. Unica hucusque dignoscitur, unica extat, nosque qui multum studium et operam in iis conquirendis posuimus, unius quidem seu nostrae hujus plura corrasimus exempla, nullum alterius fragmentum. In Conati epigraphe nulla duplicis editionis vestigia, nec verosimile est primis illis artis temporibus ac paucorum annorum spatio quo libros impressit, eum duas diversas hujus operis editiones suscepisse. Videtur ego Azarias sub eo nomine bina tantum nostrae editionis exempla voluisse intelligere quae prae manibus habebat. Ita statuendum opinor donec aliquod non producatur secundae editionis exemplar quod rem dirimat.

VII

R. Mosis Maimonidis Morè nevochìm seu Doctor perplexorum ex hebraica R. Samuelis Tibbonidis versione in fol. min. absque anno et loco, ante an. MCCCCLXXX.

Aequum sane erat ut celebre hoc Maimonidis opus quod ob summam utilitatem ac praestantiam tot laudibus celebrare tantoque studio vertere aggressi sunt Christiani ipsi, imprimere etiam aggrederentur Judaei sub ipsa hebraicae typographiae primordia. Ac luculenter id quidem factum est charactere quadrato sed absque ulla anni, loci, typographi indicatione. Editio non est in 4., ut asserit Bartoloccius, le Longius eosque secutus Wolfius tom. I p. 856, sed in fol. minore, ut idem Wolfius statuit tom. III p. 780, ubi ex exemplari quod ex Ungeri bibliotheca acceperat, accuratiorem illius descriptionem suppeditat. Cui porrò exemplari haud intelligo quare Catalogus illius bibliothecae annum constituerit 1476, ut Wolfius testatur, qui recte animadvertit nullum prorsus ejus rei argumentum ex volumine ipso colligi posse. Nescio etiam qui litterarum formae Thessalonicam referre visae sint Wolfio. Extatne ullus liber eo characterum genere Thessalonicae impressus? Immo vero extat ne liber ullus hebraice illic impressus XV seculo, ad quod noster hic est necessario referendus? Constat hinc quam immerito Prosper Marchandus Ungeri ac Wolfii conjecturas secutus corruptoque Catalogi anno, editionem hanc revera Thessalonicae anno 1479 perfectam statuat in Hist. de orig. typ. num. LXXI p. 72. Illud certum eam in antiquioribus ac primis ponendam esse atque in iis quae annum 1480 praecesserunt. In qua sententia et is fuit qui Ungerianum indicem contexuit. Locus incertissimus est, atque ego quidem illic verosimilius impressum librum crediderim, ubi prodierunt editiones quae sequuntur, quadratae. Eadem omnium ratio, omnes sine anno et loco expressae, omnes charactere quadrato, qui in nostra hac ac Kotzensis Libro praeceptorum est perfecte idem, in reliquis major quidem, sed ejusdem plane formae, ut dubitandum non videatur, quin eundem habeant artificem, communemque typographum ac locum. Eadem in omnibus charta idemque signum anchorae circulo contentae.

Ab interpretis R. Samuelis filii Jehudae ben Tibbon praefatione nostra haec incipit, cujus prima dictio, quemadmodum et capitum ac sectionum exordia, majoribus sed aeque antiquis ac rudibus typis exhibentur. Eadem utrarumque litterarum forma, in nonnullis paullulum acuminata ac semi-germanica, generatim tamen accedens ad intermediam illam qua conscripti sunt codices antiquiores. Pagina integra, lineae 36, folia 154. Nulli tituli, numeri, signaturae, custodes, nec linearum quidem qui ad implenda vacua adhibentur. Hinc non ea servatur in iis aequa seu perfecta proportio, quae in sequentibus conspicitur. Superiori puncto indicantur abbreviaturae vel vocum compendia, sed nullo periodorum distinctio ac finis. Ineffabile nomen modo per ה, modo per י exprimitur puncto notatum, saepeque occurrit consuetus nexus aleph et lamed.

Extat ad calcem Morè interpretis epigraphe, in qua testatur se hujus eximii libri versionem absolvisse mense tebet anno 4965 ab orbe condito, deinde sequitur capitum summa ac recensio ex Charisii interpretatione retenta. Praeter Ungerianum illud exemplar perrarae et antiquissimae hujus editionis ac bina quae nos sumus consecuti, extat etiam in Vaticana, in bibliotheca Propagandae, et Seligmaniana. Vidi et membranaceum ejus exemplar Bononiae in bibliotheca sancti Salvatoris. Qui enim in ea numeratur codex 638, non est ms. sed impressus nostraque haec editio, corrigendique sunt Montfauconius et illius bibliothecae Catalogi auctores qui pro ms. acceperunt. In eo quoque emendandus Montfauconius in nota ad eum codicem quod dicat esse librum R. Samuelis translatum ex arab. in linguam hebraicam, quum scribere accuratius debuisset Maimonidis librum a R. Samuele translatum.

VIII

R. Mosis Kotzensis Liber magnus praeceptorum in fol. max. sine anno et loco, ante an. MCCCCLXXX.

Splendidissima ac princeps hujus libri editio, quam non multo post editam Disquisitionem nostram de hebr. typ. origine deteximus et acquisivimus. Ea in duas partes dividitur, quarum prima foliis 99 praecepta continet negativa, altera fol. 175 adfirmativa. Sunt ergo folia integrae editionis 274, binis computatis albis quae ad earumdem partium vel voluminum calcem reperiuntur. Incipit sine ullo titulo ab auctoris praefatione, paginae duabus columnis constant, columnae lineis 55, nec ulli numeri, vel signaturae conspiciuntur. Duplex est character, major quo sectionum exordia exarata sunt, minor quo textus, uterque quadratus, et uterque perfectissime idem cum eo quo excusus est praecedens Maimonidis liber Morè nevochìm, cum quo et reliquae notae congruunt, nisi quod in nostro hoc Kotzensis custodes linearum litterae ad implenda spatia adhibentur, quae in illo desunt. Explicit hisce verbis בריך רחמנא דסייען אמן סלה חזק *Benedictus misericors qui adjuvit nos amen sela. Confortare.* Intacta servat loca Christianis opposita, in quibus esse et Soncinensi ipsa anni 1488 vel 1489 integriorem ac pleniorem ad hanc editionem observavimus. Utramque ignorans Wolfius, Venetam an. 1522 primam esse in I vol. p. 827 statuit, sed testatur vol. III pag. 760 se aliam deinceps vidisse in bibliotheca Oppenheimeri sine anno et loco, quae eadem cum hac nostra videtur, quamvis in edito illius bibliothecae Catalogo eam non reperiam. Perperam tamen illi CPolitana videbatur. Praeter integerrimum chartaceum exemplar extat etiam apud nos membranaceum hujus editionis fragmentum.

IX

R. Mosis Nachmanidis Commentarius in Pentateuchum in fol. max. sine anno et loco, ante MCCCCLXXX.

Nec Bartoloccius, nec Wolfius, nec ullus alius bibliographus memorat rarissimam ac pulcherrimam hanc editionem, cujus praeter exemplar tribus postremis foliis mutilum quod antea compereram, integerrimum aliud ac lu-

culentissimum deinceps obtinui. Character est quadratus antiquus, ejusdem formae cum charactere binorum praecedentium librorum, sed major. Initialia tituli ac cujusque libri, capitis, sectionis vocabula majoribus litteris exhibentur. Iidem autem sunt omnino utrique typi, majores ac minores, cum iis, quibus exaratae sunt sequentes editiones Arùch, Kimchii Radicum, Commentarii Rascì, Arisbae Quaestionum et Gersonidis Commentarii in Danielem. Pagina integra, lineae 45, margo amplissimus, sed tituli, numeri, signaturae, custodes desunt, etiam linearum, seu litterae quae vacua replent. Punctis indicantur abbreviaturae, sed nullus est eorum usus sub finem periodorum. Unicus consuetus nexus aleph et lamed, ineffabile vero nomen per ה̇ exprimitur. Ad calcem Exodi haec leguntur: ברוך דיהב חילא לעבדיה בר אמתיה ברוך נותן ליעף כח ולאין אונים עצמה ירבה נעתק ע׳ עובדיה ומנשה ובנימן מרומא „ Benedictus qui tribuit virtutem servo suo, filio ancillae suae. Benedictus qui dat fesso fortitudinem, et cui vires deficiunt, robur auget. Descriptus per manus Obadiae, Manassis et Biniamini de Roma „. Conjeceram olim postrema haec verba de exemplari ex quo facta est editio, seu de ejus amanuensibus esse intelligenda, modo vero de editione ipsa ejusque typographis mihi videntur potiori jure explananda. Nec enim in editionibus amanuensium nomina solent retineri, aut tres unius ejusdemque codicis portionis scribae numerari, contra eorum loco substituuntur typographi, qui et saepe plures consociantur, et optime primissimis illis artis temporibus voce נעתק uti potuerunt. Hac porro epigraphe subjectoque albo folio opus vel editio in bina veluti volumina vel partes dividitur, quarum altera foliis constat impressis 120, altera 121, quae summam conficiunt foliorum 241, numeratisque albis 244. Ad calcem subjicitur Nachmanidis nota de suo adventu ad urbem Aco et argenteo nummo seu siclo illic reperto, ejusque fusa ad Deum oratio super templi ac sanctae urbis excidio ab auctore facta, quum ad eandem urbem venit, quae extat quoque in editione Ulyssiponensi. Quisnam sit nostrae hujus ceterarumque quadratarum editionum locus, incertissimum est. Illud unum fere pro certo tenendum est eas omnes ab iisdem tribus typographis fuisse curatas, et ut Itali ii sunt, in Italia prodiisse. Nulla est quae locum vel annum, ac sola nostra haec quae typographos pandat. Quae et pro primaria habenda et integerrima quoad ea loca nobis injuria quae in recentioribus editionibus sunt mutilata.

X

R. Nathàn filii Jechielis Arùch, sive Lexicon talmudicum, in fol. sine anno et loco, ante MCCCCLXXX.

Silent et de nostra hac editione omnes bibliographi qui hucusque Pisaurensem anni 1517 ut primariam suspexerunt. Ea est antiquissima eodemque charactere elaborata, quo praecedens Nachmanidis Commentarius. Sine ulla anni, loci, typographi nota, sine numeris, signaturis, custodibus sive paginarum sive linearum, punctis quae periodos absolvant. Talmudica vocabula quae explanantur, typis ex-

pressa sunt majoribus, ut et initium ac finis cujuslibet litterae alphabeti et operis, sed minoribus titulus primae paginae praefixus, in quo vocatur auctor filius R. Jechielis filii R. Abrahami de Roma, multique et eximii honoris tituli ei tribuuntur. Paginae quae sunt integrae, lineis constant 45 et volumen foliis 305, consueta expliciens nota תם ונשלם שבח לבורא עולם *Finitus est ac perfectus, laus Creatori seculi.* Loca quae nos vel religionis nostrae auctorem respiciunt, exhibet intacta. Sub voce סטדא legit verba אמו סטדא סטת דא מבעלה, quae caute in Pisaurensi sublata sunt, et sub altera נשם, ubi Pisaurensis ac Veneta Bombergii anni 1531 habent לחש ליה שום ישו הנוצרי ואינשם פי' חזרה נשמתו *Mussitavit illi nomen Jesu Nazareni et respiravit, idest rediit anima ejus* vel *revixit*, integrum servat et nostra hunc textum de patrato in nomine Jesu insigni miraculo, legens tamen, ut videtur, intermedia verba in meo exemplari abrasa משום ישו בן פנדירא *nomine Jesu filii Pandirae*, ut legunt bini antiquiores mei hujus Lexici codices mss. 140, et 1130.

X I

R. Salomonis Jarchì Commentarius in Pentateuchum in 4. maj. sine anno et loco, ante MCCCCLXXX.

Est et haec editio in earum numero quas bibliographi omnes profunde ignorant, nosque post editam Disquisitionem de hebraicae typographiae origine deteximus, ac tanta quidem felicitate, ut quatuor diversa, bina chartacea, bina vero membranacea, nacti simus ejus exempla. Incipit sine ullo titulo a primis verbis בראשית ברא majoribus litteris excusis, ut excusa sunt omnium sectionum exordia, character quadratus antiquus, idem cum charactere praecedentium librorum, paginae integrae, linearum 33, numeris, signaturis, custodibus destitutae, folia editionis 213, numerato albo quod sub initium extat, hacque terminatur nota חסלת פרשת וזאת הברכה ובו עמדה המלאכה שבח לאל רם ונשא „ Explicit sectio *Et haec est benedictio*, in eaque subsistit opificium typographicum. Laus Deo excelso et augusto „. Sub finem Exodi occurrit additamentum illud expositionis Ephod, quod habet Regiensis anni 1475, magnaque sive in sacris quae proferuntur verbis, sive in Jarchii textu conspicitur lectionis varietas. Gen. III 15 legit et nostra editio ותשפנו, ut Regiensis ac multi codices, ac propterea addenda est ad hunc locum in Appendice ad Var. Lect. tom. IV pag. 212.

X I I

R. Levi ben Gerson Commentarius in Danielem in 4. sine anno et loco, ante MCCCCLXXX.

Tribus illis typographis qui Nachmanidis Commentarium aliosque libros sine anno et loco vetusto quadrato charactere ediderunt, debetur quoque haec editio, referenda et ipsa ad earum classem quae sero a nobis repertae sunt ac profundissime hucusque ignorabantur. Idem omnino cum praecedentibus character, eadem ratio ac conditio. Quaelibet pagina lineis constat 28, integrum vero opus foliis impressis 37, numeratisque binis albis, quae praecedunt ac subsequuntur 41. Gersonidis

textui hic titulus minoribus typis praemittitur פי׳ דניאל לר׳ בן גרשום בה׳ נתחיל ונסיים *Commentarius Danielis R. Levi ben Gersom. Domini ope incipiamus et finiamus*. Sed bina quae sequuntur et opus inchoant, verba בשנת שלש, ac quarumdam sectionum initia majoribus litteris sunt exarata, haecque ad calcem legitur typographi epigraphe : והנה נשלם פי׳ דניאל תהלה לאל אלהי ישראל והוא יישר אותנו כלבנו שואל לעבדו לאהבו וישלח לנו מהר הגואל יגל יעקב ישמח ישראל אמן אמן וחלקי המחוקק יהי׳ ספון עם מצדיקי הרבי׳ ככוכבי׳ לעול׳ ועד אמן ואמן סלה „ Et ecce absolutus est Commentarius Danielis, laus sit Deo forti, Deo Israëlis, qui dirigat nos, ut cor nostrum desiderat, ad ejus cultum et amorem, mittatque nobis cito redemptorem, ut exultet Jacob et laetetur Israël. Fiat, fiat. Pars autem mei typographi abscondita sit vel reposita cum iis qui justificant multos et sunt sicut stellae in aeternum et ultra amen amen sèla „. Integra est editio quoad loca antichristiana in recentioribus sublata.

XIII

R. David Kimchì Liber Scarascìm seu Radicum in fol. maj. sine anno et loco, ante an. MCCCCLXXX.

Non dubito quin eadem sit isthaec editio cum illa quam ut extantem Romae in Collegio neophitorum in magno folio, charta optima, sine loci annive indicio, commemorat Bartoloccius, maleque Wolfius tom. I p. 307 Neapolitanam esse suspicatur. Ad hanc editionem etiam certissime pertinet membranaceum hujus libri exemplar quadrato charactere exaratum, quod foliis constat 183 ac servatur Florentiae in Laurentiana pluteo LXXXVIII cod. V, de quo iterum dubitat Biscionius in Catalogo pag. 434, an sit Neapolitana impressio. Nullum ex iis indiciis in alterutram Neapolitanam, contra omnia in nostram perfectissime quadrant. Quam si non sat certi olim ob varias doctorum hominum conjecturas omisimus, de hebraicae typographiae primitiis agentes, certiores jam facti ex binis exemplis, quamquam mutilis, quae deinceps in manus nostras devenerunt, suum illi locum in hisce Annalibus assignamus. Ea eodem charactere quadrato expressa est quo quatuor praecedentes, unica excepta littera ט quae in his nimis inflectit, in nostra ac sequenti Arisbae minus, in interiori angulo reformata. Typi etiam utrique in Kimchio et Arisbà sunt magis detriti, ac propterea eorum editiones tempore illis posteriores. In reliquis omnibus adamussim congruunt. Numeri, signaturae, custodes, puncta ad periodorum distinctionem desunt, eadem abbreviandi ratio, pagina est integra, lineae 43, margo amplissimus, radices ac litterarum alphabeti finis et exordia majoribus typis distincta, editio quoad antichristiana loca intacta, reliquis omnibus certe antiquior ac princeps, ut mirari sane non desinam, quod Bartoloccius qui illud Neophitorum exemplar habuit prae manibus, ut primam deinde nominet tom. II p. 32 CPolitanam anni 1513, quam non modo nostra haec, sed et binae Neapolitanae praecesserunt. Nec inter ceteras primaevae antiquitatis notas haec omittenda quod biblica loca nulla ratione nec ad marginem, nec in textu, ut in aliis fit, indicantur.

XIV

R. Salomonis filii Abrahami filii Adèred, litterarum compendio vulgo dicti Arisbà, Tescuvòth seu Responsa ad variorum quaesita, in 4. sine anno et loco, ante MCCCCLXXX.

Postrema ex quadratis editionibus quas tres illi Romani typographi Obadias, Manasses et Beniamin conjunctis viribus procurarunt, suppresso in omnibus anno et loco, et in fere omnibus etiam proprio nomine. Rarissimae hujus editionis, cujus bina diversis temporibus detecta a nobis sunt et acquisita exempla, profundissimum apud bibliographos esse silentium adnotavimus in libello De hebraicae typogr. orig. p. 66, monentes eam, quam testatur Wolfius tom. III pag. 1020 vidisse in Oppenheimeri bibliotheca, ex titulo ac foliorum summa ab hac nostra esse diversissimam, atque a Wolfio ipso ad recentiorem aetatem et ad Ripam Tridenti, ubi tamen quod sciam nulla facta est, amandari. Bononiensis forte haec erat, quae reapse in ea bibliotheca extat, sed extat etiam nostra, ut patet ex edito ejus Catalogo fol. 44, et unica quidem quae annum et locum non definiat, adeo ut errarit profecto Wolfius qui scribit in priori illa a se visa utrumque defuisse. Azulai ex solo aliorum testimonio eam refert in II parte Scem aghedolìm anno 1780 in lucem emissa fol. 14, sed vidit deinceps eaque utitur fol. 80 b ut quaestionem aliquam contra communem et hodiernum nostri auctoris textum dirimat. Constat editio eodem quadrato, rudi ac vetusto charactere quo praecedentes, unica, ut diximus, mutata vel refusa littera ט, incipitque ab indice responsorum, qui 13 folia occupat, praemisso partim majoribus litteris, quibus et cujuslibet responsi numerus et exordium exprimitur, partim minoribus titulo תשובות שאלות להרשב"א. Paginae habent lineas 24, sed nullas signaturas, numeros, custodes, eademque in hac criteria quae in reliquis, observantur. Responsa sunt numero 420, quae foliis absolvuntur 160 vel 162, numeratis binis albis quae sub initium ac finem extant, hacque epigraphe: בריך רחמנא דסייען ברוך נותן ליעף כח ולאין אונים עצמה ירבה נשלמו אלו ת"ש לרשב"א „ Benedictus misericors qui adjuvit nos. Benedictus qui dat fesso virtutem et cui vires non sunt, robur addit. Finita sunt haec Responsa ac quaesita R. Salomonis ben Adèred „.

XV

R. Mosis Maimonidis Jad chazakà seu Manus fortis, in fol. max. 2 voll. sine anno et loco.

In bina volumina dividitur praestantissima ac rarissima haec editio, a nobis olim detecta nec ab ullo scriptore memorata, et in binas columnas quarum unaquaeque lineis constat 63.. Incipit absque ullo libri titulo ab auctoris praefatione, praemissis consuetis verbis אז לא אבוש בהביטי אל כל מצותיך *Tunc non confundar, quum contemplabor ego universa mandata tua*, ex Ps. CXIX 6 depromptis typisque expressis majoribus, quibus et initialia ejusdem praefationis, librorum, constitutionum, capitum verba exhibentur. Character quadratus, rudis, antiquus, intermedius, singularis, qui in nullo alio XV

seculi libro observatur. Major est tantisper acuminatus et ad germanicam formam accedens. Litterarum compendia puncto superius posito pro vetustiorum editionum more designantur, papyrus crassior redolet et ipsa XV seculum primamque typographiae aetatem, desunt paginarum numeri, signaturae, custodes, etiam linearum, ac sub finem periodorum puncta, sola excepta praefatione et indice, desunt et superiores librorum vel constitutionum tituli, solis exceptis binis prioribus paginis libri I המדע quae titulo insigniuntur flavioribus litteris excuso. Primum volumen folia 182 complectitur hancque typographorum notam: בריך רחמנא דסייען מריש ועד כען ותכל מלאכת עבודת הקדש השבעה ספרים הראשוני׳ על ידי המחוקקי׳ שלמה בר׳ יהודה ועובדיה בר׳ משה ה׳ יזכינו להתחיל ולהשלים החצי האחרו׳ וספרי׳ אחרי׳ לחיים ולשלו׳ „ Benedictus misericors qui adjuvit nos a principio usque nunc, absolutumque est opificium ministerii vel cultus sancti VII priorum librorum per manus typographorum Salomonis filii R. Jehudae et Obadiae filii R. Mosis. Dominus dignos nos faciat incipere et perficere partem alteram aliosque libros in vita et in prosperitate „.

Volumen alterum in nostro exemplari in fine mutilum est, desinens ad cap. XXI Constitutionis מלוה ולוה seu ejus qui mutuum dat et accipit. Sed aliud exemplar et quidem, ut opinor, integrum servatur in Seligmanni, olim Oppenheimeri, bibliotheca, ut eruo ex edito ejus Catalogo fol. 16 b. Nec enim dubitandum est quin illa editio quae post CPolitanam ibidem recensetur, et dicitur sine ullo Commentario in eleganti papyro, quadratis litteris, binisque voluminibus elaborata et antiquissima, ipsissima nostra sit, ac proinde ex eo exemplari, cui nullus in Catalogo annus vel locus assignatur, luculenter confirmetur quod antea ex editionis ratione conjeceram, illam sine anno et loco prodiisse. Patet autem ex collatione principem hanc editionem non modo insignem variarum lectionum copiam suppeditare, sed et integram esse quoad loca, sane non pauca, quae in Constitutionibus praesertim Avodà zarà seu de Idololatria haereticos, gentiles, idolatras, apostatas, vel apertius etiam Christianos, sacerdotes Edom, impium regnum respiciunt. Quaedam tamen verba ac potissimum sanctissimum Servatoris nostri nomen caute aliquando in editionibus ipsis antiquioribus ac plenioribus supprimi supra vidimus ad Soncinensem anni 1490, producto exemplo ex tractatu Melachìm seu de Regibus, cui placet aliud jam addere ex cap. X de Idololatria. Ibi legitur in Maimonidis textu: „ Sed traditores Israëlis et haereticos et epicuraeos tenemur manu destruere vel necare, et in puteum foveae dimittere, quia ipsi sunt inimici Israëlis et avertunt populum a Domino, ut Zadochus Baithosus, eorumque discipuli, nomen impiorum putrescat „. Mss. codices post verba *avertunt populum a Domino* inserunt כישוע הנוצרי ותלמידיו *sicut Jesus Nazarenus et discipuli ejus*. Ita aperte meus 626, et ex prima manu 982 et 1066, sicque bini Jablonskii apud Wolfium tom. I p. 854 cum hoc solo discrimine quod legant כישו seu Jesus nomen sine ain, ut suos legere solere in Tisbì testatur

Elias Levita. Nec aliter locum hunc lib. II contra Judaeos cap. V proferebat Hieronymus a sancta fide. Sed collatis tribus quae penes nos extant, antiquioribus operis editionibus, videlicet nostra sine anno et loco, Soncinensi ac CPolitana anni 1509, nulla ea verba retinet.

XVI

Psalterium sine punctis 12. *sine anno et loco, sed circa an. MCCCCLXXVII ad MCCCCLXXX.*

Describens olim hanc editionem in Clavi codicum sacri textus Variis nostris Lectionibus praemissa, vocavi eam ignotam ejusque exemplar, tunc nuperrime detectum, unicum. At vero nunc vix dubito quin eadem ea sit cum illa quam sine punctis in 8. litteris rabbinicis curatam in Bibliotheca Durlacensi inter Reuchlini libros extare testatur Majus in Vita Reuchlini p. 541 et ex Majo Wolfius tom. II pag. 407 et ex Wolfio Maschius in Biblioth. sacra tom. I p. 92, qui et illam antiquissimam appellat, ac jure quidem, si exemplar ad Reuchlinum pertinebat. Nemo tamen Durlacense exemplar membranaceum dicit, unde chartaceum illud esse tenendum est, ac proinde adhuc in hac re unicum quod nos nacti sumus, in membrana nitidissime impressum. Statim sine ullo titulo incipit I Psalmus, cujus prima linea ac reliquorum omnium tituli quadratis typis minoribus sunt expressi. Character textus rabbinicus est, quamquam minus inflexus, idem in genere cum eo quo exaratus est Kimchianus Commentarius Psalterii 1477 vel Jarchianus ac Targum Pentateuchi Bononiensis anni 1482. Sed ut nonnullae litterae, ut observavimus, in binis hisce editionibus differunt, ita et quaedam in nostra ab utraque. Aleph, scin, ain hic paullo diversae et elegantiores, quam in Psalterio an. 1477, contra beth et lamed paullo diversae et elegantiores in Pentateucho, quam in utroque Psalterio, ubi earum forma perfecte congruit. Nexus aleph et lamed in Psalterio 1477 nullus, hic extat, ut in Pentateucho sed tantisper diversus. Typi in hac nostra editione sunt adhuc recentes ac vividi, in Pentateucho detriti, lineae hic interdum inaequales, litterae et integra vocabula saepe extra lineam posita, quod in Pentateucho, immo in Psalterio ipso an. 1477 non occurrit, contra numeri Psalmorum qui in Psalterio 1477 omnino absunt, in hoc ad marginem notati. Ex his omnibus facile conjici potest Psalterium nostrum inter an. 1477 et 1480 lucem vidisse. Paginae integrae sunt ac constant lineis 19, nec folia quae sunt numero 63, nec plagulae numerantur, sed sub linearum finem extant litterae custodes sequentium dictionum ad vacui complementum usurpatae. Psalmi in V libros dividuntur, quorum initium ac finis quadratis typis indicantur, sed aliter quam fiat in editione 1477. Ad calcem leguntur haec: נשלם ספר תהלים תהלה לאל על כל אלים *Absolutus est liber Psalmorum, laus Deo super omnes Deos.* Folio vero sequenti extat in nostro exemplari ms. nota Jehosephi filii Menachem Azariae, in qua testatur is se hoc Psalterium Abrahamo filio Scabtaei vendidisse *die XVIII aprilis anni CCL*, Chr. MCCCCXC. Nec porro solis

typis. sed et in singularibus lectionibus saepe conspirat cum Psalterio 1477 ut constat ex edita nostra sacri textus collatione. V. Psal. XXI 12, XXII 18, XXXVII 14, XLV 5, et 18, XLIX 21, LXII 8, LXIX 34, LXXI 18, LXXIII 20, LXXVIII 8, CVIII 11, CXXIX 6. Verum in aliis dissentit, ut Psal. XXI 13, XXIII 4, L 3, LXV 12, ac Psalmo quidem XXIII 4 unica est inter editiones quae mss. codicum lectionem sequatur.

XVII

Psalterium sine punctis cum indice et Sèder bircàd ammazòn, seu Ordine benedictionis cibi, in 12. sine anno et loco, sed a MCCCCLXXVII ad MCCCCLXXX.

Non ita pridem erutum a nobis est hoc Psalterium, cujus pleraque folia cum praecedenti adamussim congruunt et ex eo retenta sunt, quaedam vero recusa et mutata. Extat etiam sub initium, saltem in nostro hoc exemplari, Psalmorum index, et סדר ברכת המזון, seu *Ordo benedictionis cibi*, qui sex folia occupant et in altero desiderantur. Index numerat tantum Psalmos 149 ac propterea ejus numeri non conveniunt cum Psalterio ipso in quo numerantur 150, subque ejus finem notantur Psalmi per hebdomadam vel festivitates recitandi. Sequuntur Psalmi qui aliter ac in praecedenti incipiunt. Nam non integra linea, sed solum primum vocabulum אשרי quadratis litteris exhibetur, ut fit in aliis Psalmis, binique priores numero 1 et 2 distinguuntur, qui in membranaceo desunt. Folium 4 et pagina versa folii 7 iterum differunt. In hac primum Psalterium Psal. XX legit ונפלו cum custode נפ׳, nostrum נפלו et deest custos, ac praeterea hoc verbum, ut et bina alia praecedentia in nostro sunt extra lineam, in alio recte disposita. Sic et עצתך et ואלה in priori lineas absolvunt, in hoc inchoant. Differt quammaxime et folium 10, ac versa pagina 11, et ad Psal. CXIX ad litteram ט vocabulum שב quod paginam claudit, est sub initium lineae in membranaceo, in medio in nostro.

In reliquis vero foliis praeter characterem qui idem omnino est in utroque exemplari, sive rabbinicus, sive quadratus, paginae, lineae, verba, custodes linearum, spatia tam perfecte conveniunt, ut dubitandum non sit quin in iis eadem sit typographica textus compositio eademque editio, recusis tantum in alterutro exemplari quibusdam foliis ac paginis, quod in membranaceo verosimilius factum videtur, ubi quae extra lineam ac proportionem in nostro sunt, rectius collocantur. Illud porro animadversione dignum ac mirandum, quod recusa haec ac mutata folia diversam saepe servant lectionem et ex alio exemplari vel codice sunt deprompta. Psal. 11 defective מוסרותמו, עבתימו, תרעם, habet membranaceum, plene מוסרותימו, עבותימו, תרועם, chartaceum, ut et alia ejusmodi non pauca, ac vers. 6 ejusdem Psalmi illud הר קדשי *monte sancto meo*, ut fert communis lectio, nostrum קדשו *sancto ejus*, ut LXX, Vulgatus et Arabs, in hac servanda lectione unicum. Silent enim in utraque collatione, Kennicottiana ac nostra, omnes codices sive mss., sive editi. In lectione נפלו superius commemorata Psal. XX 9 conspirat cum Psalt. an. 1477, sed in aliis ab eo

discrepat, ut non possint dici ea folia ex hac editione restituta.

XVIII

Quinque Meghillòth, seu sacra Volumina Ruth, Ecclesiastis, Cantici canticorum, Threnorum et Esther cum Commentario R. Salomonis Jarchì. Accedit in Esther etiam Commentarius Aben Ezrae, in fol. sine anno et loco, sed Bononiae circa an. MCCCCLXXXII vel MCCCCLXXXIII.

Quo notior ac celebrior post Maffeii tempora evasit Bononiensis Pentateuchus anni 1482, eo obscurior et ignotior est princeps haec v sacrorum Voluminum editio eodem charactere, loco, aetate facta, post editam Disquisitionem de hebr. typographiae origine a nobis detecta, et in libello De ignotis antiquissimis sacri textus editionibus cap. I breviter descripta. Libri servant diversum ac singularem eum ordinem, quo illos referimus, praeposito videlicet Ruth et Ecclesiaste Cantico Canticorum et Threnis illudque plane singulare quod Esther Assueri nomine inscribitur, ut in Bibliis antiquis sine anno et loco. In medio stat sacer textus, supra et infra Commentarius, ille charactere quadrato rudiori cum punctis et accentibus, hic rabbinico minori, qui idem est uterque cum charactere Pentateuchi, nisi quod sit detritus. Forma quidem eadem editionis, sed pagina, seu typographica ejus compositio hic dilatata ac latior, ac margo minor, librorum tituli supra notati, in sacro textu initiales nullae majores, ut in Pentateucho, sed deest hic lineola raphè, quae in Pentateucho adest, contra adsunt signaturae quae in eo desunt. Quaelibet pàgina nunc pluribus, nunc paucioribus lineis constat, ac prima quidem habet 38 praeter titulum libri ex quibus octodecim pertinent ad rabbinicum Commentarium, reliquae ad sacrum contextum. Elohìm impressum est cum ד, et saepe in tetragrammato nomine mutatum vau in jod. Foliis absolvitur 27, quorum postremo pagina recta ad calcem Commentarii Aben Ezrae qui in Esther additus est, legitur: נשלמה מגלת אסתר בת וביחיל (corr. אביחיל) תהלה לאל המאזרני חיל, *Finitum est volumen Esther filiae Abichail, laus Deo qui accingit me fortitudine*. Nostrum hoc exemplar membranaceum est, ut fere omnia Pentateuchi, aliudque perrarae hujus editionis exemplar extat etiam Romae in bibliotheca Neophitorum, ut ex cl. Fabricy litteris intellexi. Eam porro diversam esse editionem, seorsim factam a typographo Abrahamo ben Chaiim, et quidem absoluto jam ac vulgato Pentateucho, forte in nonnullorum gratiam qui Meghillòth postulaverant, ut eas Pentateucho ipsi, ut Judaeorum mos est, tamquam ejus appendicem adjungerent, omnia suadent. Nova extat in iis signatura, quae a Pentateucho omnis aberat, non eadem typographica paginae ac compositionis est dimensio ac proportio, typi usu valde attriti, Pentateuchi epigraphe ostendit ejus editionem esse perfecte absolutam, nec ulla in ea voluminum mentio, ac pleraque tandem Pentateuchi exempla, ac fere omnia, quae et membranacea sunt, et integerrima, et optimae conditionis, ea non habent adnexa. Variae lectiones nec multae, nec magni momenti,

ut in Pentateucho, habet tamen nonnullas, ac Kerì plerumque in textum ipsum receptum conspicitur.

X I X

Pirkè avòth seu Capitula patrum cum Commentario R. Mosis Maimonidis a Samuele aben Tibbòn hebraice translato, in 4. min. sine anno et loco, sed Soncini circa annum MCCCCLXXXIV vel MCCCCLXXXV.

Dignus erat sane celeberrimus hic Miscnicus tractatus, optimis vetustissimorum synagogae doctorum ac patrum sententiis plenissimus et in multas linguas translatus, et a multis illustratus, quem typis suis sub ipsa erectae typographiae exordia Soncinates describendum susciperent. Fecerunt autem id non modo in Machazor seu judaicarum precum Compendio pleniore anno 1486 a se edito, ubi is locum occupat, sed et seorsim minori hac forma et editione, nobis olim ac bibliographis omnibus ignotissima, sed cujus bina deinceps deteximus exempla. Vidi postea etiam in bibliotheca Propagandae et in Seligmanni Catalogo notatam fol. 36, ubi aperte et absolute annus 245, seu 1485 ei assignatur, ex mera quidem conjectura, quia annus non exprimitur, sed non inani, quia perfecte congruit in omnibus cum Mivchàr appeninìm et Bechinàd olàm, qui anno 1484 et 1485 Soncini prodierunt. Incipit ab interpretis Samuelis aben Tibbon praefatione, praeposito titulo פירו׳ משנת אבות לרב הגדול המובהק מורנו הרב רבנו משה בן מימון ז״ל *Commentarius miscnici tractatus Avòth eximii et excellentissimi rabbini, doctoris ac praeceptoris nostri, R. Mosis ben Maimòn, cujus memoria sit in benedictione*, alioque folio quod ad editionem ipsam spectare monet prima signatura, ac summam conficit fol. 47. Miscnicus textus charactere exaratus est quadrato, Commentarius qui cuilibet ejus sectioni subjicitur, rabbinico, eodem utroque cum eo quo bini illi Soncinatum libri sunt expressi. Ad calcem haec tantum leguntur: תם הכל ונשלם תהלה לאל עולם *Finitus est totus liber et perfectus, laus Deo seculi.* Si nostra editio prodiit revera alterutro ex duobus illis annis, tum paullo prior aetate erit altera Machazòr anni 1486 et hujus libri omnium princeps, factaque utriusque collatione, observo eas interdum inter se discrepare, ita ut una ex alia dici nequeat deprompta. Cap. I §. VIII בעלי הדין, ut communis textus, legit Soncinensis 1486, nostra in plur. הדינין, et §. XVII illa ולא מצאתי לגוף יפה משתקה *nihilque reperi corpori pulchrius silentio*, nostra טוב משתיקה *melius silentio*, communis טובה אלא שתיקה *bonum nisi silentium*.

X X

Prophetae posteriores, scilicet Isaias, Jeremias, Ezechiel et XII minores sine punctis cum Commentario R. David Kimchì in fol. absque anno et loco, sed Soncini an. MCCCCLXXXVI vel MCCCCLXXXVII.

Vix excusis prioribus Prophetis, ad posteriores statim animum et operam converterunt Soncinates. Annus quidem deest et locus, sed ita conveniunt forma, charta, charactere tum quadrato quo constat sacer textus, tum rabbinico, quo Commentarius, in omnibus uno verbo posteriores hi cum

prioribus, ut alios aliis successisse nullus sit ambigendi locus. Nec sane ambigunt illustriores bibliographi, qui epocham utriusque editionis, cujus varia apud nos extant exempla, in eundem annum minoris Judaeorum supputationis 246, Chr. 1486, summa consensione referunt. In hac tamen editione quae incipit pag. versa a Kimchii praefatione in Isaiam, prima dictio cujuslibet libri ac prophetae omissa est, relicto spatio, plerumque amplo, ut lignea tabula ac litteris, vel manu suppleretur. Quod aliter in alia factum est. Foliis absolvitur 292 hisque verbis תם ונשלם שבח לאל עולם *Finitus est et perfectus, laus Deo mundi*. Quae de egregio ac singulari priorum Prophetarum usu diximus, ea potiori jure de posterioribus nostris dicenda sunt. Saepe conveniunt in lectione sacri textus cum mss. codicibus et antiquis versionibus et editionibus, ut patet ex nostra Collatione, sunt et aliquando in servandis rarioribus variis lectionibus unici inter codices mss. et editos, ut Isaiae XXIX 23, XLVIII 14, et Sophoniae I 1, vel fere unici, ut Isai. XXIV 5 cum solo cod. meo 737. In Kimchii vero Commentario integra exhibent sexcenta insignia loca de Christo ac Christianis, et de Edom ac Roma, quae in recentioribus omnibus editionibus omissa sunt vel mutilata. Confer potissimum Isai. II 22, VII 14, XI 14, XXXIV 1, XXXIV 7 et 9, XLIX 6, LII 1, LII 11, LIII 4, LIII 12, LIV 1, LXIII 1, LXVI 17, Jerem. XXXI 31, Ezech. XI 18, XLIV 2, Joel. IV 19, Amos II 6, Obad. 1, 2, 10, Mich. V 1, Zach. I 19 et 20, VI 3, XIII 7, Malach. IV 4. De his locis vel saltem eorum plerisque conferendus etiam doctissimus Pocockius in notis ad Portam Mosis anno 1705 Lipsiae seorsim recusis pag. 309 ac seqq., qui ea diligenter examinavit, et ut potuit, ex Pisaurensi editione binisque obliteratis mss. restituit, melius id sane facturus, plenius ac tutius, si Soncinensem nostram novisset et habuisset prae manibus. Nos unum aut alterum speciminis gratia afferemus.

Ad Isai. II 22 legit nostra editio גם יש בזה הפסוק רמז לאמונת שיכפרו. אז באמונתם ויאמרו איש לאחיו חדלו לכם מן האדם אשר עבדתם עד הנה כי אדם עבדתם ולא אלוה כאשר חשבתם אלא נשמה היתה באפו כשאר אדם א"כ במה נחשב הוא „ Hoc etiam versu innuitur fides vel religio (Christianorum), abnegaturos tunc fidem suam et dicturos unumquemque ad fratrem suum, relinquite hominem quem usque nunc coluistis, quia hominem coluistis, non Deum, sicut putabatis, sed anima fuit in naribus ejus ut ceteris hominibus. Si ita est, in quo reputatus ille est, vel cur ulla ejus habita est ratio „? Sic legunt etiam codices mss., Laudianus a Pocockio prolatus pag. 311, ex meis 646, 1004, 1070, 1184, omnes ex prima manu et quidem expresso in tribus eorum vocabulo נוצרים, quod Soncinensis typographus suppressit. Concinit et ex nostris 1173, sed Christianorum nomini substituit לעובדי הטלמוסאות *cultores imaginum*, et loco hominis אליל *idolum*. In editione Pisaurensi 1516 quaedam verba retenta sunt, sed in recentioribus omnibus integer hic textus est omissus. Ac capite VII 14 in editione antiqua Pisau-

rensi spatii, inquit Pocockius, inter בתולה et אלה relictum satis est ad indicandum Judaeis deesse aliqua quae ex mss. patet fuisse כדברי התועים *secundum verba errantium*. Ita plane Soncinensis, quae et cap. LIII 12 integrum alium servat locum, qualem ex mss. codicibus restituit Pocockius pag. 320. גם יש לפר׳ בעת הגאלה ויהיה פי׳ כמו שפי׳ ועונותם הוא יסבל. שמפרש׳ אותו על אמור להם איך אמר ישכיל ירום ונשא וגבה אם על הבשר לא נשא וגבה אלא על העץ שתלו אותו בו אם על האלהות מתחלה גם כן היה גבוה ונשא. ואמ׳ נגע למו והיה לו לומ׳ לו כי למו כמו להם לשון רבים ואמר יראה זרע אם על הבשר לא היה לו זרע ואם על האלהות ויפרשו זרע התלמידים זה לא נמצא כי התלמידים נקראים בנים ולא זרע ואין לאל זרע. ואמ׳ יאריך ימים אם על הבשר לא האריך ימים ואם על האלהות אמר שבשכר זה יאריך ימים הלא הם ימיו מעולם ועד עולם ואמר ולפשעים יפגיע הלא הוא אלוה למי יתפלל בעבור הפשעים. „ Potest etiam hoc exponi de tempore redemptionis, eritque interpretatio ipsius sicut diximus et iniquitates eorum ipse portabit. (Christianis vero) qui illud exponunt de (Crucifixo), repone illis. Quomodo dixit: *intelligens erit, exaltabitur et elevabitur et extolletur*? Si de humanitate, is non fuit exaltatús et elatus nisi in ligno quo ipsum suspenderunt. Si de divinitate, etiam ab initio erat exaltatus et excelsus. Dicit autem *plaga lamo* quum dicendúm fuisset *lo*, seu *ei* quia *lamo* est sicut *lahem illis* pluralis numeri. Dicit quoque *videbit semen*. Si de humanitate, non fuit ei semen, sin vero de divinitate, et exponant de semine discipulorum, hoc non reperitur quod discipuli appellentur filii aut semen nec Deus ullum habet semen. Dicit et *prolongabit dies*. Si de humanitate, is non prolongavit dies, sin vero de divinitate dicit quod pro hac mercede protracturus sit dies, annon dies ejus a seculo sunt et usque in seculum? Dicit tandem *et pro praevaricatoribus oravit*. Nonne ipse est Deus? Ad quem ergo effundere is preces pro praevaricatoribus debet »? Desiderantur haec in Venetis editionibus, in Basileensi, et hodiernis omnibus. Pisaurensis praeter bina vocabula והנוצרים et התלוי, quae et nostra supprimit, sex alia omittit quae infra habentur *nisi super ligno quo suspenderunt eum*. Sed integrum textum exhibent mss. codices, bini Pocockiani, ac mei totidem, 1004 et 1070, et ex meis quidem etiam tertius 1184, exceptis postremis illis verbis *nisi super ligno* etc. quae in eo desunt, ut in Pisaurensi. Discrepant etiam in lectione התלוי seu *Crucifixi*, quam sistit ex nostris solus 1004, nam 1070 legit על הנוצרי *de Nazareno*, 1184 על אלהיהם *de Deo suo*, 1173 totum textum praetermittit. Ac Christianorum nomen quod non audet Soncinensis editor in hunc locum inserere, paullo audentior factus bis infra exprimit ad cap. LXVI 17, ubi iterum Pisaurensis illud reticet.

XXI

Proverbia cum Commentario R. Immanuel filii Salomonis in fol. min. sine anno et loco, sed Neapoli anno MCCCCLXXXVII.

Filii, inquam, Salomonis, non Jacobi, ut mendose legitur sub initium praefationis in hac nostra editione, cu-

jus fidei nimium tribuens Wolfius, quod tom. I p. 951 recte scripserat, male retractat tom. III pag. 882, nostrum hunc Commentarium posteriori auctori assignans qui astronomica varia edidit. Nimium etiam tribuit Catalogus bibliothecae Oppenheimeri a Seligmanno editus, qui editionem hanc recensens fol. 50 verso adfirmat eam esse Immanuelis filii Jacobi. Quo factum est ut cl. Maschius in Appendice ad Bibliotecham sacram tom. IV p. 81 ex eadem Oppenheimeri bibliotheca nostram editionem sub mendoso eo nomine et ut a Neapolitana diversam parum accurate suppleverit. Quaestionem omnem mss. ipsi superstites codices dirimunt, dirimitque potissimum nostra haec mss. supellex, mss. operibus hujus auctoris quae rarius in instructioribus ipsis publicis bibliothecis occurrunt, vere ditissima. Ex duodecim quos servat, mss. hujus Commentarii codicibus, quinque praefationem vel saltem ejus initium non exhibent, sed sex alii integerrimi, videlicet 317, 377, 573, 666, 735, 844, legunt omnes אמר עמנואל ב"ר שלמה *Dicit Immanuel filius R. Salomonis*. Solus 698 chartaceus, recentior, minorisque aliis pretii et auctoritatis, habet evanida scriptura, sat tamen ex vestigiis certa, ב"ר יעקב *filius R. Jacobi*, quam lectionem vel ex editione ipsa hausit, cujus aetatem non videtur superare, vel editio ex hoc aliove codice, si eam quidem non placet, quod et parum verosimile est, ex una typographi negligentia repetere. Cum nostris illis codicibus concinit Colbertinus, nec dubito quin concinant quotquot in aliis bibliothecis servantur, numero paucissimi. Ad haec Immanuel ipse filius Salomonis in praefatione ad Commentarium suum ineditum in Job, cujus duplex apud nos extat exemplar, tamquam suum aperte agnoscit ac refert nostrum hunc in Proverbia, ut nullus sit de hoc ambigendi locus. Ac majus quidem pondus lectio illa ben Jacob habere videretur, si verum esset quod testatur Wolfius eam sub initium et finem editionis occurrere. Verum mera haec est Wolfii incuria et hallucinatio, ut cuique patet hebraicam epigraphem ab eo allatam et a nobis infra afferendam conferenti.

Editio a praefatione Immanuelis incipit, quam excipit pagina versa sacri textus titulus majoribus litteris expressus ligneaque tabula condecoratus. Quadrati ejus typi ac rabbinici fusissimi Commentarii qui integram fere paginam occupat, iidem sunt cum typis reliquorum Agiographorum, quorum nostra haec Proverbia quae foliis constant 104, pars sunt. Ad calcem hanc exhibent notam: נשלם ספר משלי עם הביאור הארוך והיפה מרבינו עמנואל זצ"ל השבח יאות לרוכב ומניע בלי לאות אמן אני חיים בר יצחק הלוי אשכנזי „ Absolutus est liber Proverbiorum cum expositione diffusa ac praestantissima R. Immanuelis, memoria justi sit in benedictione. Decet laus equitantem ac moventem se sine defatigatione amen. Ego Chaiim filius Isaaci Levitae Germanus „. In sacro textu eadem variarum lectionum copia, quae in aliis Agiographorum libris, illudque singulare, ut monuimus ad Prov. XII 27, quod in uno ex nostris exemplaribus rudibus aliis et antiquis XV seculi typis bina recusa sunt folia. Neapoli cu-

rata est editio, non CPoli, ut tradit Plantavitius in Biblioth. rabb. p. 617. Quae et unica est, quod sciam, hujus Commentarii, ac Commentarius ipse unicus hujus auctoris, qui in Neapolitanis Agiographis sit excusus, ac perperam propterea conjicit Wolfius alios nonnullos forte ei esse vindicandos. Perperam ei Commentarios in V libellos, Danielem, Esdram ac Chronicorum librum reapse vindicat le Longius pag. 712, ubi et male noster Sphorni cognomine appellatur, qui rectius Siphronaeus erat dicendus. Perperam etiam auctor Catalogi bibliothecae Oppenheimeri eumque secutus Maschius locis supra commemoratis Immanueli nostro attribuerunt Commentarium alterum in Canticum canticorum, qui ex eadem editione in illius bibliothecae exemplari servabatur. Habet quidem noster auctor etiam Commentarium in Canticum canticorum, sed ineditum, ut habet in Pentateuchum, in Prophetas, in Psalmos, in Jobum, in Ruth, Threnos et Esther, ineditos omnes, rarissimos, bibliographis fere omnibus ignotos, omnesque in exigua hac nostra bibliotheca, quae non exigua ejus est laus, simul felicissime collectos, ubi et varii codices extant ejus Mechabberòth seu poeticarum Compositionum, ac bini inediti sacrae criticae operis quod Even bòchen seu Lapidem lydium inscripsit. De singulis conferatur nostrorum mss. Catalogus brevi edendus. Praeter commemoratos auctores mentionem hujus editionis faciunt Maittairius tom. I p. 378 et Assemanus Biblioth. mss. Vatic. tom. I p. 195, Immanuelis vero Commentarium laudat Azulai P. II fol. 18.

XXII

Tractatus talmudicus Betzà seu de Ovo cum Commentario Rascì, Tosephòth, Piskè tosephòth, et Mordechài, in fol. Soncini ante an. MCCCCXC.

Testatur Bartoloccius tom. III pag. 762 reperiri in bibliotheca Vaticana inter codices hebraicos impressos sub num. 15 duos codices talmudicos Beracòth et Betzà cum Rascì et Tosephòth excusos Soncini anno הג"מרא לפ"ק seu 249 minoris supputationis, Chr. 1489 apud R. Salomonem ben R. Israël de Soncino. De tractatu Beracòth, quem prae manibus habebamus, nullum quidem erat dubium, sed is in neutro exemplari, meo et Oppenheimeriano, adnexum habebat Betzà, nec mendosum eum annum praeseferebat, ut ad illum vidimus p. 34. De Betzà vehementer dubitabam, donec collato a clarissimis viris Amadutio ac Constantio, modo fato functis, Vaticano exemplari, certior olim ab iis factus sum eum tractatum revera illic reperiri adjectum. Hoc tamen minime voto reique nostrae satisfaciebat, quaerendumque adhuc erat, an ejusdem esset cum primo characteris, rationis, editionis, anni, et si Soncinatum quidem erat, ex indubiis quae proposueram, indiciis ac criteriis definiendum, an ab iis Soncini et XV seculo, an vero Pisauri ineunte XVI, fuerit editus. Quibus omnibus plenissime et humanissime a cl. Fabricy satisfactum est, nova et accurata instituta utriusque tractatus collatione, qua secure jam uti possumus.

Noster hic tractatus incipit folio recto, praemisso tituli loco majoribus,

duplicibus ac ligneis litteris vocabulo ביצה, eodem ornatu circumsepto, qui sub initium Josuae ac Samuelis in Prophetis prioribus anni 1486 conspicitur, quique idem etiam est cum eo qui in Beracòth extat, nisi quod in nostro ob breviorem dictionem intermediam binae hinc inde exculptae tabellae additae sint, binos lepores repraesentantes. Primum folium infra designatur per ב א, quo innuitur folium aliud album ut in Beracòth, praecedere, vel aliquod editoris monitum, folia non numerantur, sed titulo minori quadrato charactere insigniuntur, ut in eodem tractatu, cum quo et typi omnes sive quadrati, sive rabbinici, reliquaeque typographicae notae perfecte adeo congruunt, ut dubitari non possit, quin noster hic tractatus, qui septimus est II ordinis Moèd, Soncini post Beracòth et ante annum 1490, ut bini alii Niddà et Cholìn, prodierit. Talmudicus textus explicit folio ג ח, seu tertio VIII quaternionis. Sequitur Commentarius Mordechài, qui ad tria tantum folia et usque ad initium cap. IV protrahitur in Vaticano exemplari ac mutilus est. Quae succedunt folia, ea pertinent. ad tractatum Beracòth cum nostro a bibliopega confusa ac male transposita, continentque continuationem Commentarii Mordechài et Maimonidis in postrema capita ejusdem tractatus una cum fusis ejus epigraphis, in quibus annus ille extat a Bartoloccio designatus, sed sine he praefixo גמ״רא, seu 244 min. supput., Christi 1484. Quum itaque mutilus sit sub finem in Vaticano exemplari tractatus Betzà, ac folia illa ad calcem compacta, iisque contentae epigraphes et aera non sint tractatus nostri sed Beracòth, nostri aera certo constitui nequit, donec integrum detegatur exemplar, quae aeram ipsam et epigraphem, si ullam quidem, ut videtur verosimilius, Soncinates apposuerunt, exhibeat. Quamvis porro incerta sit aera erretque Bartoloccius, eumque secuti Chevillerius, Orlandius, Maittairius aliique auctores qui alienum et mendosum illum annum 1489 ad tractatum hunc transtulerunt, videtur tamen is proculdubio circa eundem annum et aetatem prodiisse.

XXIII

Talmudicus tractatus Chedubòth seu de Contractibus cum Commentario Rascì et Tosephòth, in fol. Soncini ante an. MCCCCLXXXIX.

Ex sola praefatione tractatus Cholìn anni 1489 eruo ignotam hanc editionem existere. Ejus nulla alia in ullo auctore vestigia, nec ullibi extat. Qui praefationem illam vel monitum praemisit, corrector David filius R. Eleazaris Levitae, habet sub initium ac linea tertia haec verba: וכבר הודעתיך בהתחלרת כתובות ענין מלאכה זו *Jamque manifestavi tibi initio Chedubòth artificium hujus artis*, videlicet typographicae, *illudque scripsi ut ostenderem perpaucos errores in iis reperiri*. Ediderat ergo is antea et illum tractatum a se correctum suaque praefatione instructum, quem et primum fuisse ingenii sui tentamen ex argumento ipso quod assumpsit, seu typographicae artis et correctionis explanatione, innuitur. Atque ut testatur in priori illo prologo se ob infaustos casus qui sibi acciderunt eumque substantiis suis spoliarunt, operam et officium suum intermisisse,

nec resumpsisse a tractatu Cholin, donec, favente Deo, pristinas sibi facultates procurasset, constituendum est nonnisi ante duos vel tres annos, seu circa annum 1486 vel 1487 nostrum hunc Cheduvòth prodiisse. Dubitandum autem non est quin is adnexum habeat, ut ceteri Jarchianum Commentarium et Additamenta, ut dubitandum meo quidem judicio non est quin praeter hunc alios quosdam tractatus talmudicos Soncinates ediderint qui vel perierunt, vel in tenebris ac latebris adhuc delitescunt. Nos sane varios feliciter eduximus qui profunde ignorabantur. Ignotum alium, videlicet Sanhedrin, a Gersone brevi esse suscipiendum prodit epigraphe Selicòth anni 1497 a nobis superius allata, ac multo plures ab ipso fuisse, dum viveret, varia aetate variisque locis susceptos et editos ostendit fusus titulus libri Michlol, quem is sub finem vitae CPoli anno 1532 vulgavit.

In hoc celebri titulo, in quo et genus suum suosque majores fuse exponit Gerson Soncinas, postquam testatus est multum se studium et operam posuisse ut libros erueret quos in lucem ederet, atque ut id faceret, in Galliam ipsam, ac Camberium et Genevam se contulisse, haec subdit animadversione sane dignissima: ודפסתי ספרים עד אין קץ בתורתנו הקדושה זולתי עשרים ושלש מסכתות הנהוגות בישיבות עם פי׳ ר״שי והתוספות והנה מדפיסי וויניציאה העתיקו מהדפוס שלי ובזולתם שמו כאשר מצאו. „ Excudique libros infinitos legis nostrae sanctae praeter talmudicos tractatus tres supra viginti in academiis vel scholis usitatos cum Commentario Rascì et Tosephòth, Venetique ipsi typographi en ex editionibus meis suas descripserunt, additis praeterea nonnullis ex iis quae ipsi repererant „. Ex his viginti tribus tractatibus noti sunt sequentes, 1.° Beracòth anni 1484, 2.° Avoth circa an. 1485, 3.° Niddà an. 1489, 4.° Cholin an. 1489, qui omnes apud nos extant, tresque postremi a nobis eruti nunc primum in hoc opere illustrantur. Accedunt 5.° Betzà, qui in Vaticana reperitur, 6.° Cheduvòth in praefatione Cholin memoratus, et 7.° Sanhedrin in epigraphe Selicòth 1497, qui tamen certo non liquet num reapse editus sit et sub finem XV seculi, an vero ut verisimilius est, sub in. XVI. Primi pertinent omnes ad sec. XV. Ineunte XVI Pisauri editus est 8.° Jevamòth an. 1509, 9.° Bavà batrà ibidem sine anno et loco, 10.° Eruvìn, qui tres iterum apud nos extant, 11.° Avodà zarà, et 12.° Succà, qui a Wolfio referuntur tom. IV p. 325 et in Oppenheimeri vel Seligmanni bibliotheca servantur. Postremum Wolfius ait esse sine anno et loco, ejusque typos Soncinatum, sed Catalogus bibliothecae Oppenheimerianae fol. 55 notat esse ex antiqua editione Thessalonicae, ubi et Gerson Soncinas libros impressit. Forte Catalogi auctor ex conjectura id fecit, ut fecit Wolfius de tractatibus Eruvìn et Bavà batrà Pisauri excusis, quos ipse Thessalonicae vel CPoli impressos credidit. Ac mirum profecto est Wolfium Constantiae nomen, quod in descriptione Bavà batrà pro Constantio Sfortia prave legebat Catalogus Erpenianus, in CPolim emendare tom. II p. 910, dum notat Gersonem Soncinatem qui

se vocat גר שם פיזרו *commorantem hic Pisauri*, eum edidisse, ac si qui Pisauri tunc commorabatur, posset libros edere CPoli. Ita legendum Pisauri nomen, ut habet editio, non פזערו, ut Wolfius, foliisque ipsa constat 231, non p. 60, ut is male numerat. Sed haec alterius sunt loci ac temporis, nec nos Pisaurenses Gersonis editiones talmudicorum codicum obiter commemoramus, nisi ut demonstremus longe adhuc abesse earum summam quae hucusque notae sunt, ab ea quam Gerson ipse in eo titulo constituit. Undecim enim supersunt, quarum memoria omnis intercidit, inter quas et verisimile est nonnullas esse quae ad Soncinum ac xv seculum pertineant.

XXIV

R. Jacobi ben Ascèr Arbà turìm seu IV Ordines, in fol. sine anno et loco, sed Soncini circa vel paullo ante an. MCCCCXC.

Diu multumque exquirens, sed irrito conatu, binas hujus operis editiones, Soncinensem an. 1481 ac CPolitanam an. 1494, de quarum fide vehementer dubitabam, tertiam hanc ignotam feliciter e latebris diebus proxime elapsis erui a Salomone filio Mosis Soncinate absque anno et loco, sed Soncini circa annum 1490 procuratam, ex qua verisimile valde est Bartoloccium priorem illam anni 1481 quae non extat, confixisse, quamvis nec a Gersonis progenitoribus, ut ipse inquit, facta sit, sed ab ejus fratre, nec ad eum annum pertineat. Si enim Soncinensis vel Soncinatum aliqua editio Bartoloccii errori ansam dedit, nulla alia praeter hanc ante Fanensem an. 1516 et xv seculi dignoscitur, ac Fanensis ipsa a Gersone elaborata quae in titulo secunda dicitur, hoc est, ut interpretor, Soncinatum, ostendit nullam aliam praecessisse, nisi contendas secundam dici Gersonis, binasque diversas Soncinenses, quod improbabilem est, binis fratribus Gersoni ac Salomoni deberi Fanensi priores. Nostra haec incipit folio verso ab auctoris praefatione, et indice I ordinis, prima pagina textus qui indici succedit, eo ornatu instruitur qui in fronte extat Soncinensis editionis Jad Maimonidis anni 1490, iisdem typis quadratis sive majoribus initialibus, sive minoribus textus exarata est utraque editio, tantaque in reliquis est consensio, ut dubitare nos non sinat, quin in eodem loco et circa idem tempus lucem viderit. Paginae in binas columnas divisae, signaturis instructae, sed nullis numeris ac titulis, inaequali constantes linearum numero, seu modo longiores, modo breviores, ut ob hoc ipsum videatur nostra altera illa paullo antiquior. Singuli ordines novam exhibent plagularum enumerationem, primus folia continet 94, secundus 80, tertius 50, quartus 126, integrum opus 350. Ad calcem primi leguntur haec נשלם הטור האחד שבח לאל המיוחד *Finitus est primus ordo, laus Deo soli*, paullo infra חזק ונתחזק *Confortare et confirmemus nos*, postremo אני שלמה בן החבר משה שונצין ז"ל *Ego Salomon filius socii rabbini Mosis Soncini fel. mem.* Reliqui omni carent epigraphe, etiam consueta clausula. Textus intacta sistit loca antichristiana, quae tamen in nostro hoc exemplari, raritatis vere extremae et hucusque unico, atramento deleta sunt.

XXV

Biblia antiqua cum punctis et accentibus, in fol. absque loco et anno, sed Neapoli circa an. MCCCCXCI.

Quum splendidissimae rarissimaeque hujus hebraicorum Bibliorum editionis exemplar, postremo Pentateuchi quaternione mutilum, Parisiis vidisset le Longius in musaeo domini Boissier, ex libris Dionysii Nolin Parisiensis Jurisconsulti pretio redemptum, potiores ejus notas descripsit in Bibliotheca sacra tom. I p. 62, non ita tamen accurate ut in nonnullis non fuerit reprehensus ab Hermanno van de Wall qui integrum aliud Judaei Amstelodamensis habebat ob oculos. V. ejus Epistolam apud Wolf. tom. IV p. 109. Nos ex chartaceo, luculento eo quidem, sed in quibusdam foliis manu suppleto, quod in manus nostras devenerat, multo fusiorem et accuratiorem hujus cimelii notitiam suppeditavimus in Disquisitione de hebraicae typographiae origine p. 60, quam hic repetimus novis observationibus locupletatam et auctam, assumpto jam ad usus nostros integerrimo, nitidissimo ac vere pretiosissimo exemplari membranaceo quod rebus nostris postea feliciter accessit. Incipit folio verso a tabula Aphtaròth rabbinicis exarata litteris et juxta italicum ritum disposita, quae, cum nemo hucusque ejus meminerit, videtur in reliquis omnibus exemplaribus intercidisse. Sequitur folio sequenti sacer textus litteris quadratis hispanicis sat elegantibus cum punctis et accentibus, prima quidem pagina integra linea expressus, sed deinceps duabus plerumque columnis distinctus. Wallius solum Psalterium excipit, cui le Longius in hac re accuratior Proverbia ac Jobum addit. Addit et postrema duo voluminis folia, quod si de universa editione sumatur, falsissimum est, si de mutilo quo utebatur exemplo, quod verisimilius folio 424 absolvebatur, verissimum. Itaque integra linea vel columna exhibetur prima Geneseos ac Josuae pagina, Canticum Mosis fol. 37, Canticum Deborae, postrema pagina libri Judicum, tres in libris Samuelis fol. 183, Canticum Davidis fol. 187, integri Psalmorum, Proverbiorum, Jobi libri, tria denique folia, 423 ac duo sequentia Paralipomenon.

Prima porro illa Geneseos ac Josuae pagina ligneo quodam ornatu est condecorata, floribus ac sertis contexto, qui in superiori parte venaticum canem repraesentat tres lepores insectantem atque angelum qui buccinam clangit. Ad dexterum latus pavo se se cum fastu efferens supra leporem stat. Paullo infra alter angelus equo insidet, in ima vero parte vacuum stemma in medio reperitur, atque hinc canis cervum venatur, illinc angelus conspicitur, non cornicen, non cornua sonans, non equo, ut ait le Longius, sed alteri cervo insidens ejusque cornua manibus arripiens. Illud autem animadversione dignum est quod ipsissimum hoc ornamentum sub initium etiam extat CPolitani Pentateuchi quem possideo, anno 1522 cum chaldaica Paraphrasi ac praecipuis rabbinorum Commentariis in maximo folio editi, nisi quod longo usu detritissimum in hoc Pentateucho apparet. Hic idem ornatus iterum conspicitur in fronte ce-

leberrimi libri Karaitici Adèred Eliàv, qui anno Solimani XI, Chr. 1531 in eadem urbe CPolis per Gersonem Soncinatem fuit impressus, et ut infra videbimus, etiam in fronte Neapolitani Pentateuchi anni 1491 serius detecti. Sacro textui lignea alia tabula vel ornatus praeficitur, qui in medio exhibet primam Genesis dictionem בראשית majusculis litteris insculptam, atque hinc inde binos angelos eam veluti custodientes. Quo fit ut nonnisi 12 lineas prima haec pagina complectatur, sed quae integrae sistuntur, ut et columnae quaelibet, lineis constant 28 vel 29, saepius vero 30 vel 31. Supra extant librorum vel sectionum tituli atque ex adversa parte, quod singularissimum, etiam foliorum numeri, infra signaturae, initialia librorum verba majusculis et ornatis litteris distinguuntur, sectionum majoribus ac fusis, nullum hic raphè seu adspirationis signum supra consuetas litteras, nec corrupte, sed suis expressa elementis comparent divina nomina. Quinque Meghillòth seu sacra Volumina suum post Pentateuchum locum occupant, atque eo quidem ordine, quem servant hodiernae editiones, sed cum singulari libri Estheris titulo, qui inscribitur nomine Assueri, ut in primaria horum Voluminum editione Bononiensi anni 1482, in Pentateucho Neapolitano 1491, in CPolitano 1505, et in Bibliis Pisaurensibus an. 1517. Libri Samuelis, Regum, Esdrae ac Nehemiae, et Paralipomenon unicum tantum librum, ut in mss. et ceteris antiquis editionibus, constituunt, Psalmi vero, qui numerantur CXLIX, Proverbia ac Job singulari modo, lineis videlicet alternis plenis ac divisis in medio sunt dispositi, quod in nonnullis quidem codicibus mss., sed in nulla alia editione factum puto, in nulla sane factum reperi. Explicit opus absque ulla epigraphe, solis verbis חזק ונתחזק, unde fallitur le Longius, scribens in ultimo Pentateuchi quaternione qui in Parisiensi exemplari deerat, aeram editionis et locum designatum fuisse.

Quoad locum attinet, Judaei, inquit Wallius, volunt eum impressum esse Ulyssipone in Lusitania. Rationes quas afferunt, subdit ipse, hae sunt, quod iisdem litteris impressus sit quibus Nachmanidis libri quem omnes Ulyssipone impressum esse tuentur, quodque extet penes eos liber continens regulas quibus ubi debebant typographi Hebraei in imprimendo Pentateucho, ubi perpetuo ablegentur ad codicem Ulyssipone impressum in scribendis praecipue litteris finalibus aliisque, quae ut praescribuntur et allegantur, in hoc codice extant. At vero hallucinabantur quammaxime Judaei illi qui sic sentiebant. Nec enim ad nostrum hunc integrum Bibliorum codicem ablegantur Judaeorum typographi ac scribae, sed ad Ulyssiponensem Pentateuchum anni 1491, qui linea raphè aspirandas literas accurate distinguit, qui sectiones et alia omnia exhibet ad accuratiorum mss. ac sacrae criticae seu masorae leges perfectissime exacta, qui ab Hispanis sapientibus tantae apud Judaeos existimationis ob masorae studium summa diligentia editus, correctione ac typorum elegantia ceteras omnes editiones longissime superat. Jam vero ut ut accuratissima esse nostra haec Biblia facto

experimento compererim, et ad hispanos codices ac masorae leges et ipsa comparata, levioribus tamen aliquando scatet mendis, quibus Ulyssiponensis ille Pentateuchus non scatet; immo Gen. xvi 3, typographorum oscitantia sex integra verba repetuntur, quae vetusti possessoris manus in membranaceo meo exemplari abrasit. Nescio autem quomodo Biblia haec litteris cum Ulyssiponensi quem possideo, Nachmanidis Commentario convenire dici queant qui rabbinicis ac diversissimis typis constat. Itaque testatus sum si ullus quidem conjecturae locus esse tunc poterat, quum primum haec Biblia illustravi, qui sane vix habebatur, me Soncini potius aut a Soncinatibus edita ea putare ob maximam affinitatem quae in multis cum Soncinensibus servabant.

At vero nostram hanc conjecturam referens cl. Maschius in Bibliotheca sacra tom. I pag. 16, ubi et integram nostram descriptionem repetit, subjicit quod si idem Abraham ben Chaiim, cui editionem anni 1488 debemus, haec quoque Biblia edidisset, proculdubio antiquiorem editionem accurate recudi curasset. Satis autem apparet ex iis quas nos ipsi illi communicavimus, hujus codicis lectionibus eum a Soncinensi recedere. Quamobrem ex alio codice ms. ipse hanc editionem procuratam primum conjicit, deinde vero ex singulari illo Estheris titulo qui in Pisaurensi anni 1517 observatur, Pisaurensem ad hanc esse formatam, aut hanc ex Pisaurensi sibi persuadet. „ Ornamenta vero, inquit, codicis quae eadem sunt quibus Gerson Constantinopoli 1522 et 1531 usus est, facile nos, ut hunc codicem a Gersone Constantinopoli sub initio sec. xvi vel ad normam editionis Pisaurensis exscriptum esse, credamus inducere possunt unde quare tam exiguus in hisce terris extet exemplarium numerus, ratio reddi posset „.

Quam infirma sint quae primo loco constituit doctissimus vir, quisque facile videt. Nam idem typographus et editor saepissime ex alio codice, non ex priori editione eundem librum recudit. Binae Parisienses hebraicae Bibliorum editiones Roberti Stephani discrepant inter se, ut discrepant eae omnes quas Soncinates sive in patria, sive extra, procurarunt, moxque videbimus nostra haec Biblia, quamquam a Soncinensibus diversissima, a Soncinatibus, et quidem ab eo ipso qui prima Soncinensia ediderat, fuisse recusa, ut ego conjeceram. Falsum porro est, ut animadverti in Appendice ad ejusdem Maschii Bibliothecam p. 31, Pisaurensem editionem ad hanc esse formatam, aut hanc ex Pisaurensi. In multis lectionibus, potissimum in plenis ac deficientibus, eae differunt, suasque praeterea singulares habent lectiones, quibus non modo inter se, sed et a ceteris omnibus dissentiunt. Kerì circello notatur in Pisaurensi, ac Num. x 35, 36 legitur in ea nun inversum, nulla in nostra utriusque vestigia, Deique nomina, quae superstitiose ubique in priori illa efferuntur, suis hic litteris, ut diximus, sunt expressa. Constat denique ex italico Aphtatarum ordine et tituli defectu haec Biblia, non CPoli aut ineunte xvi seculo, sed in Italia exeunte xv prodiisse, ut ad Maschium

ipsum olim scripsi, de membranaceo meo exemplari nuperrime acquisito sermonem instituens quod is per errorem ad aliam editionem transtulit in addendis tom. IV pag. 77.

Sed jam mihi videor posse nunc certo nostrorum Bibliorum locum et typographum constituere. Character rabbinicus indicis Aphtaròth idem est cum eo quem in variis suis editionibus Soncinates adhibuerunt, quadratus vero sacri textus idem cum eo quo constant Psalmi, Job et Proverbia Neapolitana an. 1490 et Pentateuchus cum Commentario Jarchì in eadem urbe anno 1491 ab iisdem Soncinatibus editus. Idem est etiam character, quo paginarum tituli ac plagulae in Bibliis ac Pentateucho indicantur, eadem Cantici Mosis in utraque editione dispositio, eaedem majusculae et ornatae litterae sub initium Numerorum, eadem libri Estheris inscriptio Assueri, idem ornatus quo prima pagina condecoratur, adeo ut dubitari nulla ratione possit, quin nostra haec Biblia Neapoli quoque eodem circiter anno iidem Soncinates ediderint, qui ut suorum commodo et utilitati consulerent, non modo integra Biblia, sed et seorsim Pentateuchum cum usitatiori Commentario ac manuales Psalterii, Jobi ac Proverbiorum partes iisdem typis eodemque tempore vulgandas susceperunt. Soncinatum autem nomine intelligendus profecto est Josuas Salomon, qui in eadem urbe Neapoli anno sequenti 1492 integrum Miscnae corpus splendidissime impressit. Quamquam porro ex hispanicis ut diximus, codicibus ac masoreticis hausta sint haec Biblia, ac variarum lectionum copia ac praestantia, ac critico usu nequeant cum Soncinensibus contendere, dissident tamen aliquando ab hodierno textu, etiam in rarioribus ac gravioribus lectionibus. Sane Gen. XXII 13 una est ex duabus editionibus, quae sistat lectionem אחד per daleth, quam exhibent Samaritanus textus, LXX, Syrus, Chaldaeus, parallelus locus Dan. VIII 3, ex superstitibus vero codicibus utriusque collationis, Kennicottianae ac meae, triginta et octo praeter dubios non paucos. Correctione autem, elegantia, magnificentia ac raritate nostra Soncinensem longe superat. Dixi etiam raritate. Etsi enim Soncinensis extremae raritatis nota a bibliographis insigniatur, olim tamen quinque vel sex, modo etiam decem ejusdem exempla detecta sunt, a nobis superius enumerata, solaque Italia plura Soncinensis possidet, quam nostrae hujus possideat orbis ipse universus. Quinque enim tantummodo eaque fere omnia mutila dignoscuntur, Parisiense a le Longio descriptum, Amstelodamense a Wallio visum, chartaceum meum Crevennianae bibliothecae concessum, quod ea distracta in Angliam pertransiisse opinor, membranaceum alterum meum integerrimum post primum illud acquisitum, quo utimur, ac tandem membranaceum aliud bibliothecae Holkamensis, quod in Deuteronomio ac Paralipomenis deficit atque ad Cod. 545, quo in sua collatione nostra haec Biblia innuit, in Dissertatione generali Kennicottus commemorat. Quod notat is Mutinae apud Judaeos servari, pro opere suo collatum, est chartaceum ipsum quod in manus olim meas devenit.

XXVI

Proverbia cum Commentario Kav venakì in fol. absque anno et loco, sed Ulyssipone circa an. MCCCCXCII.

Commentarii auctor est R. Scalòm filius Abrahami, qui Ulyssipone florebat XV seculo, non XVI, ut ait Wolfius tom. I pag. 1031. Quod patet tum ex nostra hac editione, quae certissime prodiit in ea urbe circa annum 1492, tum ex ipsius interpretis praefatione, in qua ut coaevum commemorat R. Josephum Chivàn, qui Ulyssipone et ipse vivebat exeunte eo seculo. Quod spectat vero ad Commentarium ipsum, recenset Wolfius ut antiquiores editiones Venetam in Bibliis rabb. 1518 ac Thessalonicensem an. 1522, primariam hanc nostram cum reliquis omnibus bibliographis profundissime ignorans, quam quum primum deteximus, ex binis integris exemplis quae feliciter in manus nostras devenerant, breviter descripsimus in libello De ignotis antiquissimis sacri textus editionibus cap. III pag. 7. Bina alia vidimus Romae in bibliotheca Casanatensi ac Propagandae fidei. Ea incipit a praefatione R. Scalòm, binis praepositis titulis, altero quidem משלי seu *Proverbiorum* minoribus typis quadratis qui per singulas paginas continuatur, majoribus altero qui Commentarium respicit, פירוש ספר משלי הנקרא קב ונקי *Commentarius libri Proverbiorum dictus Kav venakì*, seu *Cabus et purus*, quorum verborum sensus, ut ad Otthonis Historiam doctorum misnicorum pag. 105 de Eliezeris filii Jacobi Constitutionibus, de quibus ea primum phrasis invaluit, notat Relandus, est parum sed purum et solidum eo contineri. Pagina sequenti incipit sacer textus, cujus prima littera majuscula est et ornata. Ejus character est quadratus hispanicus luculentissimus cum punctis et accentibus, rabbinicus alter, pariter hispanicus, praefationis ac Commentarii qui undique illum circumdat, idem autem uterque cum charactere Pentateuchi Ulyssiponensis anni 1491 et Isaiae ac Jeremiae an. 1492. Litterae aspiratae raphè insigniuntur, saepeque in ineffabili nomine primum ה mutatur in ח, ut fit in antiquis aliis editionibus, saepe etiam circello Kerì vel varia dictionis lectio indigitatur, aliquando in textum illud recipitur, nec semper cum Thessalonicensi congruit, cujus nitidissimum membranaceum possidemus exemplar. Constat foliis 60 impressis vel 61, numerato albo quod ex signatura debet praecedere, solaque versuum summa explicit textus, Commentarius vero verbis בריך רחמנא דס״ען מריש ספרא ועד כען *Benedictus misericors qui nos adjuvit ab initio libri usque nunc.*

XXVII

Pentateuchus cum Aphtaròth et V Meghillòth, seu Prophetarum sectionibus et sacris Voluminibus Cantici canticorum, Ruth, Ecclesiastis, Threnorum et Estheris sine punctis, in 4. maj. absque anno et loco, sed in איшאר Iscàr ab anno circiter MCCCCXC ad MCCCCXCV impressus.

Elegantissima editio bibliographis omnibus antea incognita, cujus integerrimum, membranaceum ac nitidissimum Florentiae in bibliotheca divi Marci detexi exemplar, in Catalogo

mss. codicum illius bibliothecae num. 699 recensitum, quia tamquam ms. codex habebatur. Vidi deinceps Romae nonnulla alia ejus exempla, membranaceum in bibliotheca eminentissimi Zeladae ab initio ac fine mutilum, membranaceum aliud in Vallicellana, in quo deficiunt Aphtaròth et Meghillòth, et in Catalogo mss. numeratur sub n. F 90. 3, quia habitum et ipsum est ut ms. ac compactum cum ms. Evangeliario graeco, chartaceum in bibliotheca Propagandae sub initium ac finem manu suppletum, ac membranaceum tandem fragmentum libri Ruth et Ecclesiastis pariter inter mss. in Casanatensi sub num. EF IV 18. Tria etiam diversa exempla nos variis temporibus nacti sumus quae apud nos servantur, omnia membrana excusa, quorum alterum ad Canticum canticorum deficit, alterum ad Ecclesiastem, tertium reliquis integrius partem Threnorum et Estheris addit. Quotquot ergo aetatem ferunt exempla, omnia membranacea sunt praeter illud Propagandae, omniaque mutila praeter Florentinum divi Marci, quo nos olim ad hujus Pentateuchi descriptionem usi sumus. Vallicellanum in selectis locis pro Kennicotto collatum est, qui inter fontes suae collationis numerum illi adscripsit 513. In omnibus autem aut fere omnibus puncta antiqua manu suppleta sunt.

Incipit folio verso sine ullo titulo a primo Geneseos capite, majuscula tantummodo et ornata praefixa prima littera beth, eademque adamussim quae in Ulyssiponensi Pentateucho conspicitur sub initium chaldaicae Onkelosi Paraphrasis. Sic et majusculis ornatisque elementis totidem tabellis insculptis inchoantur libri reliqui, ac vav quidem quod extat initio Exodi et aleph initio Decalogi ac Deuteronomii, eadem omnino sunt in hoc Pentateucho, et Iscariano vel Sauriano aut Soriano anni 1490 in Lusitania edito. Character sacri textus hispanicus est ac luculentus, idemque cum eo quo exaratum est Targum Ulyssiponensis, et Pentateuchus an. 1490 in quo tamen usus arctarum litterarum est frequentior. Duplici is sistitur columna, quae lineis constant 27, sed paginae nullos titulos, nullos numeros, ac plagulae nullas signaturas praeseferunt, prima excepta, cujus prima quatuor folia minimis typis indigitantur. Sectiones Pentateuchi nullis majoribus litteris distinguuntur ac saepe nullo spatio vel exiguo unius lineae, solo vocabulo פרש ad marginem apposito. Libri expliciunt masora finali seu summa versuum minimis quadratis expressa typis, qui et iidem plane sunt in utroque Pentateucho, nostro et altero anni 1490, hocque singulari animadversione dignum est, quod binae paginae quae Mosis Canticum in Sectione בשלח complectuntur, ornatu quodam condecorantur qui varias aves et animalia repraesentat, et extat etiam in fronte Avudrahàm Ulyssiponensis anni 1489, ac Nachmanidis Commentarii in eadem urbe eodemque anno impressi. Idem ornatus comparet iterum sub finem Exodi in Pentateucho CPolitano anni 1505, et sub initium trium librorum Abarbanelis, Ros amanà, Zèvach pèsach, Nachalàd avòth, qui illic prodierunt anno 1506, et binorum voluminum Jad achazakà Maimonidis ex ea-

dem CPolitana editione anni 1509. In Decalogo, et sub finem Aphtaròth, Cantici canticorum, et Threnorum exiguus alius ornatus vel tabula occurrit, quae extat ad calcem Genesis, Levitici ac Numerorum in Pentateucho 1490.

Quinque Mosis libros excipiunt Aphtaròth totius anni, quarum tituli iisdem expressi sunt majoribus typis quibus in Pentateucho Ulyssiponensi ac 1490 in Jarchii Commentario, iisque succedunt v Meghillòth eo quo retulimus ordine, posito videlicet ante Threnos Ecclesiaste, foliisque 190 ac prolixo 44 versuum carmine opus absolvitur, quo divina lex loquens introducitur, ejusque laudes, praestantia, emolumenta fuse enarrantur. Sub finem Pentateuchi et v Voluminum excusa in omnibus exemplaribus extat ea erecti leonis imago vel typographi sigillum et signum, quod in Orach chaiim, in Jorè dehà et Pentateucho in Iscàr vel Iscor excusis reperitur. Ex quo quidem signo ac summa nostri consensione cum Pentateucho Iscariano anni 1490, certior jam evadit conjectura quam olim feceram, in uno eodemque loco utrumque Pentateuchum lucem vidisse. Quum in Lusitania autem, ut ad eundem Pentateuchum observavimus, verosimilius is locus quaerendus sit, omniaque ostendant illic et nostrum hunc prodiisse, dubitandum non est quin ex hispanicis et accuratioribus codicibus editus sit, ut operis ipsius ratio et institutum postulabat. Est enim tikòn sopherìm seu typus scribarum, publicis ac sacris synagogarum voluminibus describendis et emendandis destinatus, ac summa quidem diligentia excusus, nisi quod sub finem capitis XVIII Numerorum quinque lineae sint oscitanter repetitae. In textu plerumque extat Chedìv, sed nullo apposito signo, nec ullo marginali Kerì. Multas, quod mirum varias lectiones suppeditat a nobis studiose collectas, in quarum numero pretiosae et egregiae non paucae, quae cum Samaritano textu, antiquis interpretibus et optimae notae codicibus consentiunt. Multae etiam sunt, quas in nulla alia editione reperiet criticus, seu in quibus servandis est nostra haec unica editio, ut Gen. XIX 5, XXII 22, XXIII 6, XXXVI 27, XLI 53, Exodi XII 28, XXXV 12, Levit. III 7, Num. XIV 22, XXVII 23, XXIX 19, XXXII 19, XXXV 5, II Sam. XXII 44, Ezech. XLIII 10. Est et in aliis fere unica, ac Gen. XXIX 32 ac Num. VI 21 cum sola Iscariana conspirat, a qua tamen in tot aliis discrepat, ut credi non possit eam secuta ac fortuitus habendus sit ille consensus. Pentateuchum alterum sine anno et loco in 12 memorat bibliotheca Solgeriana ac Maschius, quem nos ad unum ex Brixiensibus amandamus. Vide dicta ad Brixiensem an. 1494.

XXVIII

Oseas seu Prophetae posteriores sine punctis in fol. minori ex ignota antiquissima editione sec. XV.

Fragmentum hujus editionis quod nuperrime erueram, descripsi in opusculo De ignotis sacri textus editionibus cap. IV p. 8. Illud nonnisi unicum folium complectitur, quo pars capitis VIII Oseae, et integra capita IX et X cum initio XI continentur. Paginae duabus constant columnis, co-

lumnae lineis 27, folia non numerantur, puncta desunt, character quadratus, rudis, inaequalis, antiquus, charta et ipsa antiqua, nulli tituli, nullum Kerì vestigium, sed divina nomina suis litteris impressa sunt, nullumque supra litteras raphè seu aspirationis signum conspicitur. Vetusta tamen manus puncta, accentus, ac raphè ipsum supplevit. Ex indubiis criteriis videtur editio XV seculi, sed ad nullam ex notis hujus aevi editionibus pertinet hoc fragmentum, nisi pertineat ad editionem Pisaurensem sine punctis in folio anni 1494, quam nonnulli memorant, nullus vidit nosque falsam credidimus, nec facile definiri potest, num ad integra Biblia pertineat, an ad Prophetas tantum posteriores. Solum Oseam vel solos minores Prophetas editos fuisse non est verosimile, nisi id factum sit speciminis gratia. Ex variis sane lectionibus, quas exiguum hoc fragmentum suppeditat, nosque suo loco in Collatione nostra et in commemorato libello De ignotis editionibus proferimus, eruitur singularem omnino et amasorethicam esse hanc editionem ac variarum lectionum uberrimum fontem. In quibusdam est etiam unica, ad quarum classem retulimus olim et optimam lectionem בבב, quam Oseae IX 2 ea servat cum omnibus interpretibus ac quadraginta codicibus mss. utriusque collationis, Kennicottianae ac nostrae. At vero accesserunt deinceps nostrae editioni Biblia Pisaurensia an. 1517, quae tamen in reliquis summopere ab ea recedunt. In obscuro, difficili, unico vocabulo הבהבי, quod cap. VIII 13 occurrit, medium he omittit, legens הב בי, sed illud antiqua manus anonymi possessoris vel correctoris addidit, quae et potiores reliquas lectiones discrepantes ad hodiernas emendavit.

XXIX

R. Jacobi filii Jehudae Lando Liber Agùr. Accedit ad calcem ejusdem Chazòn seu Visio, in 4. min. sine anno et loco, sed Neapoli sub finem sec. XV.

Sat notus pluriesque editus est hic liber, quo varii Judaeorum ritus et instituta, variaeque doctorum de iis decisiones colliguntur et explanantur, unde אגור seu *Collecti* nomen accepit. At vero nostrae hujus a nobis paucis abhinc annis detectae et acquisitae antiquissimae ac primariae editionis altum apud omnes bibliographos extat silentium. Incipit folio verso ab auctoris praefatione, cujus prima dictio דברי praemittitur majoribus typis excusa, ligneaque quaedam tabula primam hanc paginam exornat, quae eadem plane est cum ea quae extat in fronte Psalterii Neapolitani anni 1490, hic tamen magis detrita. Folia quae sunt 185, vel paginae non numerantur, modoque pluribus, modo paucioribus constant lineis, sed infra numerantur plagulae ac quaterniones, character quadratus minoris formae, idem cum eo quo Neapoli exaratus est Kimchii Liber radicum anni 1490 et Avicennae Canon anni 1491. Tituli plurium constitutionum majoribus litteris distinguuntur, sub initium vero earum quae vetitum et licitum respiciunt, et חזון seu Visionis quae ad calcem accedit, bis vocabulum ויהי majusculis litteris ea ipsa lignea tabella insculptum

occurrit, quae comparet sub initium Samuelis in Bibliis antiquis sine anno et loco, sed Neapoli editis.

Dubitandum ergo non est, quin Neapoli haec editio prodierit, cui fusus primum operis index, deinde vero varia rabbinorum ejus aetatis in ejus laudem testimonia fusaeque ipsius auctoris emendationes mendorum quae in editionem ipsam irrepserant, subjiciuntur, quas tandem Visio illa excipit, quam fingit quadragesimo anno feria V die mensis XVI super flumine Ticinensi, seu Papiae, sibi accidisse. Quorum verborum fidei inniti videtur R. Ghedalias, qui notat in Scalcèled fol. 62 nostrum Lando librum suum Agùr in Italia in urbe Papiae anno ab orbe condito 5240, Christi 1480, composuisse, non Taurini eo anno versatum, ut perperam intellexit Wolfius tom. I pag. 595. Nam in Agùr ipso nullum ejus anni vestigium reperio, nec scio an satis accurate ad eum posterioris libelli aera referatur. Quod et ab Azulai fieri video in I parte Scem aghedolìm fol. 41 verso. Male autem Scabtaeus in Scifiè jescenìm p. 2 Jacobum nostrum vocat filium Samuelis, maleque in ejus sententia acquiescit Wolfius, binos diversos scriptores statuentes, alterum filium Samuelis, cui liber Agùr, alterum filium Jehudae, cui Visio tribuatur. Unus idemque est auctor, qui aperte se in praefatione Jehudae filium appellat, ad calcem vero utrumque librum ut suum ab erratis typographicis emendat. In titulo etiam secundae editionis, et ut arbitror, reliquarum omnium aperte dicitur filius Jehudae, et ut ejusdem auctoris utrumque opus recensetur. Nota autem obiter secundam eam editionem, quae et ipsa ad manus est, dici in eodem titulo factam על ידי צעיר המחוקקים קטן התלמידים מבני שונצינו בשנת השלישית לאדונינו האפפיור קלימינטי השביעי הש"י יחיהו וימלא משאלות לבו וחפצו אמן „ opera minimi typographorum et discipulorum ex filiis Soncini anno III domini nostri pontificis Clementis VII, quem Deus benedictus in vita custodiat ejusque cordis vota ac desiderium expleat amen „. Facta ergo a Gersone Soncinate qui sub eo nomine latet, in ditione et urbe pontificia et ut videtur, Arimini, anno 1526, qui tertio Clementis VII respondet, non apud haeredes Soncinates, ut ait Wolfius, nec Soncini, ut Plantavitius et Seligmanni Catalogus, nec CPoli, ut idem Wolfius ac Scabtaeus contendunt.

XXX

Psalterium in 12 ex antiqua editione Brixiensi sec. XV.

Prodiit proculdubio XV seculo ignota haec editio, cujus binorum tantum foliorum fragmentum possidemus, Patavii a nobis erutum ex Judaeorum ghenizà, ubi mutili eorum libri nec usui inservientes, quales plerumque sunt antiqui, antequam sepeliantur, solent reponi vel recondi. Continet Psalmos CXXXIII, CXXXIV, CXXXV, et initium CXXXVI, ut in hac editione disponuntur, qui sunt in hodiernis Bibliis CXXXIV, CXXXV, CXXXVI, et initium CXXXVII, nosque illud jam peculiari capite illustravimus in opusculo De ignotis sacri textus edit. p. 13. Charta crassior et antiqua, character Brixiensis seu idem cum eo quo excusa sunt Biblia Brixiensia, paginae sex-

decim constant lineis nec numerantur, divina nomina per daleth exprimuntur, ut in Bibliis Brixiensibus, idem Psalmorum ordo, eadem in reliquis ratio, unde Brixiae curatam licet conjicere. Distinguenda tamen est ab altera Psalterii editione Brixiensi anni 1493, quae est in 16 et tredecim tantum lineis absolvitur. Dissidet et utriusque textus. Psal. CXXXIV 2 Psalterium an. 1493 et Biblia, quae eundem cum eodem Psalterio textum, ut monuimus, exhibent, legunt ידכם, ut hodiernae editiones, nostrum ידיכם, Psal. CXXXV 18 illae כל, nostra וכל, quaeque illae defective, nostra plene plerumque habet. Vetusta Christiani manus ad marginem cujusque Psalmi adnotat, qui latini Vulgatae nostrae hebraicis respondeant.

XXXI

Siddùr tefilòth seu Ordo precum in 12. *ex antiqua editione Brixiensi sec. XV.*

Reperi una cum praecedenti fragmento et alterum unius folii ordinis precum eodem charactere Brixiensi quoad utrasque litteras, majores, quibus distinguuntur initialia verba, ac minores, impressi. Complectitur partem precum, quae occurrunt sub initium זמירות in absolutissimo Ordine Veneto Johannis de Gara anni 344, Christi 1584, tom. I fol. 20 et 21. In nostro tamen sive quoad ordinem ac distributionem, sive quoad verba valde discrepant. Elohìm per daleth expressum est, ut in editionibus Brixiensibus, tetragrammaton nomen per bina jodin, ac 14 lineis paginae constant. Verisimile est nonnullos alios ex his precum libellis exiguae formae XV decurrente seculo editos fuisse qui perierunt, usu et aetate penitus consumpti. Ac sunt quoque ex his quidam seculi XVI ineuntis, quorum varia apud nos servantur fragmenta.

XXXII

Pentateuchus in 8. *ex antiqua editione seculi XV exeuntis, vel ineuntis XVI.*

Addimus hic et tertium fragmentum, quod apud nos extat, ignoti Pentateuchi qui ad finem XV seculi vel XVI initium pertinere videtur. Sex constat foliis, quae continent tria Genesis capita, videlicet XXIX, XXX, XXXI. Charta est spissa, bombycina, antiqua, character quadratus sat luculentus cum punctis et accentibus, paginae habent lineas novemdecim, nec ulli tituli, ulli numeri, ullae signaturae in iis apparent. Dei tamen nomina consueto more excusa sunt, nullumque supra litteras raphè seu aspirationis signum conspicitur. Ex specimine variarum lectionum quod dedimus De ignotis sacri textus editionibus p. 11 et in Variis Lectionibus ad ea capita, patet Gen. XXXI in lectione אביכן congruere cum Pentateucho Neapolitano 1491 ac Bibliis sine anno et loco sed Neapoli circa eundem annum editis. Forma etiam characteris, quamquam hic minor sit, non est dissimilis, ita ut non temere forte quispiam conjiceret nostrum Pentateuchum Neapoli exeunte XV seculo ab eodem Soncinate typographo vulgatum fuisse, qui integra Biblia ac varias Bibliorum partes variis formis, ut supra vidimus, illic edidit.

XXXIII

Machazòr seu Judaicarum precum Breviarium italici ritus cum sectionibus biblicis, Meghillòth, Pirkè avòth cum Comm. Maimonidis ac Constitutionibus variis, in fol. min. sine an. et loco, sed per Soncinates sub fin. XV vel in. XVI sec.

Ea omnia complectitur quae Machazor Soncinense anni 1486, ex quo nostrum adamussim descriptum est, eadem forma, eadem plerumque paginarum ac linearum dispositio, initium, finis, idem etiam character quadratus, sed in nostro hoc usu magis detritus, ut in Pisaurensi ab iisdem Soncinatibus sub initium XVI seculi tertium edito. Saepe tamen ablati vel mutati custodes, spatia et lineae non semper congruunt, folia non pauca aliter disposita, quaedam diversis typis impressa, initialibus litteris ligneis, majusculis, ornatis substitutae fusae ac minores, substituta et alia tetragrammati nominis sigla, alia puncta, interdum aliae rubricae, alius etiam rabbinicus character, qualem in posterioribus editionibus Soncinates adhibuerunt. Sacer textus aliquando differt a priori, in precibus vero vel hymnis quaedam antichristiana loca hic vel mutata, vel omissa quae in Soncinensi aderant, relicta lacuna ut mente vel etiam manu suppleantur. Ad calcem nulla typhographi nota vel aera, sed vetusta Judaei manus integram Soncinensis epigraphem in meo exemplari postrema pagina versa, quae alba remanet, descripsit. Incipit ut Soncinense a praefatione, praemisso iisdem majoribus quadratis typis vocabulo יתברך, primaque signatura ostendit ut in Soncinensi aliud folium debere praecedere, quod an in hac editione impressum sit et titulum aliquem sistat, an vero album ut in Soncinensi, incertum est. Illud certum editionem pertinere ad Soncinates, eam esse eorumdem Soncinatum secundam, seu mediam inter Soncinensem ac Pisaurensem, ac propterea post Soncinensem et ante Pisaurensem sub finem XV, vel initium XVI seculi curatam. In nostro exemplari multa etiam folia ac plagulae in prima parte ex Soncinensi editione inserta sunt. Ignota autem est, ut Soncinensis ac Pisaurensis, omnibus scriptoribus, suasque habet et ipsa varias sacri textus lectiones eximias ac singulares in Collatione nostra collectas, in qua et unicam esse deprehendes Habacuci III 5 et Eccle. VIII 10.

XXXIV

Pentateuchus cum Aphtaròth seu Sectionibus Prophetarum in fol. ex antiqua edit. exeuntis sec. XV vel in. XVI.

Pertinent ad ignotum hunc Pentateuchum novem folia Aptharòth, quae nos possidemus et illustravimus De ignotis sacri textus editionibus cap. V pag. 10. Sectiones iis contentae sunt quatuordecim, character quadratus hispanicus, sed rudis et detritus, charta crassa et antiqua, cujus signum manus extensa et flos pendens, ut in editionibus lusitanicis sec. XV, et in Jobo Thessalonicensi an. 1517, paginae in duas columnas divisae, quae constant lineis 25, aliquando 26, folia titulis ac numeris destituta, sed plagulae numerantur, ac secundum folium, quo incipit Aphtarà כי תזריע, notatur כב א, seu primum signaturae XXII. Litterae

aspiratae nulla lineola distinguuntur, Dei nomina consueto more exarata, Kerì ut in antiquis editionibus indicatur, cum quibus et sacri textus lectio saepe consentit, ut constat ex variis hujus fragmenti lectionibus a nobis collectis. Aetas incerta, sed videtur potius ad initium XVI seculi, quam ad finem XV referenda, ac CPoli vel Thessalonicae prodiisse.

XXXV

Pentateuchus cum Targum et Commentario Jarchì in fol. ex antiqua et ignota edit. exeuntis sec. XV, seu potius in. XVI.

Idem de altero hoc Pentateucho ferendum judicium, cujus notitiam dedimus in Specimine pontificii codicis p. 80, uberiorem vero descriptionem De ignotis sacri textus editionibus pag. 14. Editio est splendidissima, et exemplar quod possidemus, membranaceum et unicum, sed sub initium ac finem manu suppletum, character sacri textus quadratus major, Targumi minor, cum punctis, Commentarii rabbinicus, omnes hispanicae formae, folia titulis, numeris, signaturis insignita, initiales librorum majusculae, ornatae, ligneae, litterae, inter quas etiam he, aspirationis lineola distinctae, ineffabile nomen per יהוה, ejus sigla per ײ, Elohim per ה, Kerì per circellum expressum. Fol. 94 explicit Genesis, ac pag. versa incipit Exodus, sub cujus finem ornatus quidam occurrit qui varias hominum, avium, animalium refert figuras. Quaedam habet criteria cum editionibus XV sec. communia, sed alia nonnulla quae ostendunt eam ineunte tantum XVI ac verosimilius Thessalonicae prodiisse. Typi detriti et exesi ut in Agiographis Thessal. an. 1515, iidem utrobique, iidem, sed magis consumpti, in Jobo Thessal. an. 1517, iidem quadrati cum Pentat. Thessalon. 1516, eadem in iis omnibus ineffabilis nominis forma. Raphè quod in editione nostra adest, in Thessalonicensibus deest, indicat eam esse iis antiquiorem primisque seculi annis susceptam. In Agiographis tamen prima Psalmorum folia illud exhibent, etiam supra ה, quod conjecturam nostram magis confirmat. In lectione modo cum Ulyssiponensi ac Thessalonicensi congruit, modo dissentit, suasque singulares fovet lectiones in aliis editionibus frustra quaesitas. V. Gen. XLIX 13, Deut. XXVI 7 et XXVIII 29. Atque ad eandem urbem et aeram refero binas alias vetustas editiones quae prima fronte videri cuipiam possunt sec. XV, videlicet Salom. Almoli Mefascèr chalamìn seu Interpretem somniorum et anonymi Commentarium in Psal. CXIX. Utraque sine titulo, sine numeris, prima etiam sine signaturis, typi hispanici, sed obsoleti et attriti, ut in editionibus Thessalonicensibus, ac Mefascèr ipse, si Wolfio credimus qui eum in Oppenheimeri bibliotheca viderat, Thessalonicae locum adnotat, quem et illius bibliothecae Catalogus fol. 38 illi assignat. Atque hic expliciunt editiones hebraicae quae sive cum certa anni nota, sive absque ea sec. XV prodierunt. Sed inter has aliae multae ab eruditis recensentur quae falsae sunt ac supposititiae, de quibus, ne quid nostris hisce Annalibus desit, brevi nunc agendum putamus.



ANNALIUM
HEBRAEO-TYPOGRAPHICORUM
SEC. XV
PARS III
EDITIONES FALSAE AC SUPPOSITITIAE.

MCCCCXXVIII

I

R. *Josephi Karo Sulchàn arùch vel R. Jacobi ben Ascèr Arbà turìm in fol. Venetiis anno Chr.* MCCCCXXVIII.

Supposititiae huic editioni quam memorat la Caille *Hist. de l'imprimerie* pag. 6, locum dedit R. Josephus Coèn qui in דברי הימים למלכי צרפת seu Annalibus regum Galliae librum se eo anno Venetiis impressum vidisse testatur. Testimonium hoc omnium primus protulit Josephus Scaliger in Confutatione fabulae Burdonianae p. 243, qui cum non sat diserte Josephi Chronicon innueret, de Josepho Karo ejusque Sulchàn arùch male eum intellexit Boxhornius *Theatr. Holland.* pag. 154 et *Diss. de invent. typogr.* p. 33, pejus autem Boxhornium la Caille, qui Josephi librum cum impresso confundens, hunc eundem Sulchàn arùch eo anno excusum fuisse conscripsit, quo ejus auctor, ut recte observant Wolfius ac Marchandus, necdum natus fuerat. Hinc de Arbà turìm loqui Boxhornium ac la Caille scribit idem Wolfius tom. II pag. 947, III p. 421, et IV pag. 447, ad ea quae contra attulit Malincrotius *De arte typ.* p. 5 lectorem provocans. Sed errat Wolfius. Solus la Caille et solum Sulchàn anno 1428 editum adfirmat, neutrum librum Boxhornius, neutrum Josephus, qui nec designat quem viderit, ut patet ex ejus verbis, quae Wolfio quidem inspicere non licuit, sed profert ejus frater in Monumentis typographicis tom. II p. 538 et Prosper Marchand *Hist. de l'imprim.* parte II p. 66, qui de hac re reliquis omnibus fusius et accuratius egit. Ea nos hic repetimus ex editione Amstelod. 1733 fol. 39:
אמר יוסף הכהן נראה כי כבר נמצא הדפוס
בימים ההם ואני ראיתי ס' נדפס בויניציאה
בשנת שמונה ועשרים וארבע מאות ואלף
„ Dicit Joseph Coèn: videtur jam his temporibus inventa typographia, nam ipse vidi librum Venetiis impressum

anno supra millesimum ac quadringentesimum vigesimo octavo „. Aera ipsa christiana qua utitur, sat ostendit eum loqui de libro latino, non de hebraico, et auctor חוות יאיר Chavòd jair qui cum Josepho nostro consentiens vel eum decerpens, scribit et ipse in responso 184 repertam Venetiis fuisse typographiam anno 188 sexti millenarii, qui christiano illi nostro respondet, subdit מספריהם *librorum eorum*, seu latinorum Christianorum, teste R. David Azulai in Scem aghedòlìm parte II fol. 19 verso. Quamobrem Josephum de editione Arbà turìm Plebisacensi anni 1478, quae et ipsa, ut vidimus, fictitia est, loqui forte voluisse perperam conjicit Marchandus. At vero editionem hic subintellectam quaecumque ea tandem sit, falsam esse omnes consentiunt, etiam Veneti ipsi scriptores, ut Johannes degli Agostini *Notizie istorico-crit. intorno agli scrittori Veneziani* tom. I praef. p. 36, ac Boxhornium qui ea utitur ut typographicam artem ea aetate inventam tueatur, Mallincrotius aliique refutarunt. Omnes, uno excepto Boxhornio, erroris vel sublestae fidei illum Judaeorum historicum accusant qui nobis hunc librum venditavit, qui sane videtur vel memoria lapsus in referendo anno, vel minus exercitatus errasse in legenda epigraphe ac numeris, vel ut sunt latinae editiònes quae mendosas exhibent aeras easque antevertunt, aliquam ex his habuisse prae manibus quae annum illum praeseferret. Wolfio ac Marchando adde Schultensium ac Legipontium Diss. de adornanda biblioth. 4. Norimb. 1747 pag. 127.

MCCCCXLII

II

R. Jacobi ben Ascèr Even ahèzer in fol. Venetiis an. CCII, Chr. MCCCCXLII.

Catalogus Monfauconii codicum Mediceorum. Est anni 325, Chr. 1565, errorque inde enatus quod male pro anno acceptum sit vocabulum ר"ב quo titulus innuitur R. Josephi Karo, quum accipi debeant sequentia verba קראו חי majoribus typis expressa. Vide Biscionium Biblioth. heb. Flor. pag. 194.

MCCCCXLV

III

R. Salomonis ben Mèlech Michlàl jòphi seu Perfectio pulchritudinis 4. *Amstel. an. MCCCCXLV.*

Catalogus librorum Johannis de la Faye pag. 220. Sed ut animadvertit Marchandus *Hist. de l'imprim.* p. 116, nonnisi ridiculus hic est Catalogi error sive potius insulsa ac temeraria editoris corrigendi libido, qui quum videret a docta manu notatum judaicum annum a mundi creatione 5445, qui nostro respondet 1685, judaicae supputationis ignarus, turpem in eo hallucinationem foveri credidit mireque correxit in 1445.

MCCCCXLVII

IV

R. Bechai Commentarius in Pentateuchum in fol. sine loco an. CCVII, Chr. MCCCCXLVII.

Scabtai in Sciftè jescenìm p. 12 et Wolfius tom. I pag. 231, ut primus, inquit ipse, judaicorum librorum videri possit qui typis sit exscriptus.

Sed seipsum Wolfius correxit tom. III p. 142, fassusque est non solum frustra quaesivisse exemplar quod in Oppenheimeri bibliotheca deprehendi arbitrabatur, sed nec tam antiquam editionem ipsas pati posse typographiae origines. Est editio Pisaurensis anni 1507, cujus aeram רס״ז 267 mendose per ר״ז seu 207 expressit Scabiaeus.

MCCCCLXI

V

R. Mosis Kimchì מהלך שבילי הדעת *Maalàch scevilè adahad seu Iter per semitas scientiae, sive hebraicae Institutiones, in 8. in Sicilia an. MCCCCLXI.*

Testatur Buxtorfius in Bibliotheca rabbinica anno quo eam vulgavit, 1613, Scaligerum hujus operis editionem possedisse in Sicilia curatam ante annos 152. „ Quod si verum est, subdit Chevillerius p. 264 dicendum esset hebraicam typographiam multo ante coepisse quam dicat R. Ghedalias, idest in Sicilia circa annum 1461, hancque Mosis Kimchii Grammaticam esse antiquiorem librum hebraice impressum. Certum est antiquissimas hujus Grammaticae extare editiones. Est earum una in bibliotheca Sorbonica Ortonae perfecta in Albrutiana provincia regni Neapolitani anno II Caroli regis Siciliae et Hierusalem, scilicet Caroli VIII regis Galliae, qui anno 1496 respondet. In qua quidem editione quum notetur eam esse tertiam hujus libri, consequens est duas alias antiquiores editiones extitisse „. Hinc ex Chevillerio, cujus verba refert tom. I p. 45, nostram hanc editionem memorat Maittairius in Annalibus typogr. tom. V parte I p. 535. At vero non animadvertit doctus ille vir editionem Ortonensem esse ipsissimam siculam Scaligeri, ut ex Catalogo bibliothecae Lugduno-batavae, ubi ea nunc servatur, luculentissime constat, qui eam describit tamquam *tertiam et Ortonae in Sicilia curatam tempore Caroli imperatoris*. Pessime quidem. Nam Ortona in Aprutio est italica Neapolitani regni provincia, non in Sicilia, nec Ortonensis editio sicula appellari unquam potest. Manifesta tamen est erroris ratio. Etenim quum dicatur editio in fronte Ortonae facta sub dominio Caroli regis Siciliae, non imperatoris, oppidum illud in Sicilia esse et editionem siculam ii auctores crediderunt. Sed in referenda hac editione, quae apud nos extat, varie a bibliographis erratum est, variaeque potissimum ejus epochae, 1461, 1476, 1486, 1496, statutae, omnes falsissimae. Prima tamen seu nostra est reliquis multo incredibilior et absurdior, quia, ut monuimus in Diss. prael. §. V, eo anno typographia in Siciliam et Italiam adhuc non penetraverat, nec hebraica inventa, ac ne una quidem hujus libri, non tres editiones emissae. Ac videbimus deinceps ad 1496 Carolos esse confusos, aeram male intellectam hancque editionem ad aetatem multo seriorem, videlicet ad XVI seculi exordium, esse amandandam.

MCCCCLXVI

VI

Biblia in 8. Venetiis per Gersonem anno CCXXVI, Chr. MCCCCLXVI.

In mss. suis Commentariis commemorat Ottius et ex Ottio le Longius

Biblioth. sacr. p. 62. Sed in anni designatione erratum esse hancque editionem Brixiensem esse an. 1494 recte suspicatur Wolfius tom. IV pag. 108, quae a Gersone in ea forma vel 4. minori ei simili in Veneta ditione, seu sub dominio reipublicae Venetae, ut habet epigraphe, perfecta est. Nulli eo anno Venetiis et in tota Italia erant typi hebraici, nec eam editionem patitur Gersonis Soncinatis aetas, qui multo serius coepit imprimere et usque ad 1533 vel 1534 vitam protraxit. Nec Wolfius modo, sed et le Longius ipse, Quirinius, Foscarinius, Clemens aliique merito de hac editione dubitarunt.

MCCCCLXXI

VII

R. Obadiae Sphorni אור עמים *Or ammìm seu Lux populorum* 4. *Bononiae an.* MCCCCLXXI.

Hujus editionis mentionem faciunt Hyde in Catalogo bibliothecae Bodlejanae tom. II pag. 156, Cornelius Beughem in Incunabulis typographiae p. 126, et ex eo Chevillerius qui caeteroquin, ut dubium omne tolleretur, bibliothecam aliquam indicari postulat in qua exemplar aliquod servetur, Hydium ignorans qui eam protulerat ut extantem in Bodlejana. At vero merito eam tamquam suspectam, immo et supposititiam habent Wolfius tom. II p. 944 ac Saxius in prolegomenis ad Historiam typographico-litterariam Mediolanensem, qui recte observat vix eo anno praelum Bononiam vidisse, Balthassare Azzoguidi primum in patria sua torcular condente, ut tradit Orlandius p. 110 et 197. Wolfius annum quo liber ab auctore scriptus est, a Beughemio cum anno impressionis confusum fuisse putat. Quod Sphorni aeras non patitur, qui si obiit anno 310, Christi 1550, ut tradunt Ganzius in Tzèmach David ad hunc annum et R. Ghedalias in Scalscèled fol. 65 verso, ac Wolfius ipse confirmat tom. I pag. 939, certe non potuit anno 1471 Bononiae librum hunc componere vel edere. Ab hoc enim anno ad emortualem anni intercedunt novem ac septuaginta, adeo ut vix eo anno natus vel puer haberi queat. Vera erroris origo haec est, quod illi auctores in epigraphe Bononiensis editionis hujus libri anni 297, Christi 1537, quae apud nos est, pro vocabulo עֹרֶךְ quod annum hunc indigitat, male supputarunt sequens litterarum compendium אכי״ר, quod non denotat jam annum editionis sed consuetam ac tritissimam formulam *amen, sic Deo placeat*, quae in impressis mss.que codicibus saepissime adhibetur, quumque hujus compendii litterae supputatae summam efficiant 231 anno judaico 231 seu nostro 1471 impressum opus creditum est.

MCCCCLXXVI

VIII

R. Mosis Maimonidis Morè nevochìm in fol. min. anno MCCCCLXXVI.

Est editio sine an. et l. cui Catalogus biblioth. Ungerii mendose annum hunc statuebat. V. Wolf. T. III p. 780.

IX

R. Mosis Kimchì Grammatica 8. *in Sicilia an.* MCCCCLXXVI.

Scriverius apud Wolfium Monum. typogr. tom. I pag. 383, male suppu-

tatis Scaligeri annis 152 quos Heinsius et de Dieu illi retulerant. Vide dicta ad an. 1461 et infra ad 1496.

X

Gersonidis Commentarius in Jobum 4. *an. CCXXXVI, Chr. MCCCCLXXVI.*

Ita Catalogus bibliothecae Oppenheimeri a Seligmanno editus fol. 36, zain pro vav perperam accepto atque ad hunc annum relata editione quae est anni 237, Chr. 1477.

MCCCCLXXVIII

X I

R. Salomonis ben Adèred Toledòth Adam seu Generationes Adami in fol. Bononiae anno CCXXXVIII, Christi MCCCCLXXVIII.

Bartoloccius Biblioth. rabb. tom. IV p. 367. Sed recte Wolfius eum falsum esse opinatur tom. III p. 1020 in supputando anno hujus editionis quae revera Bononiae prodiit an. 284, Chr. 1524.

X I I

R. Jacobi ben Ascèr Arbà turìm in fol. Plebisacii an. MCCCCLXXVIII.

Ad hunc annum celebrem hanc editionem fere omnes bibliographi hucusque retulerunt, maxima binarum litterarum he et chet affinitate decepti. Ea est anni 235, Chr. 1475, ut fuse ad hunc annum demonstravimus.

MCCCCLXXIX

X I I I

Maimonidis Morè nevochìm in fol. Thessalonicae an. MCCCCLXXIX.

Marchand pag. 72, qui ad Ungerum ac Wolfium appellat tom. III pag. 780, sed perperam. Ungeri Catalogus annum illi statuebat 1476, non 1479, ac Wolfius eam ex Ungeri bibliotheca accipiens, testatur eo loco se nullum hujus aerae argumentum in volumine ipso conspexisse et esse sine anno et loco. Nec asserit is revera Thessalonicae prodiisse, sed sibi visum fuisse litterarum formam eam urbem referre. De qua conjectura consulantur quae supra ad hujus libri editionem sine anno et loco diximus. Marchandi errorem sequitur Maittairius tom. V parte II p. 534, eamque ad Augustam ac 1476 male transfert Rodriguez de Castro *Bibliot. Espan.* tom. I pag. 56.

MCCCCLXXX

X I V

R. Isaaci Saholaè Mascàl akkadmonì seu Proverbium antiquum 4. Soncini an. CCXL, Chr. MCCCCLXXX.

Bibliothecae Oppenheimerianae, nunc Seligmanni, Catalogus fol. 29. Est proculdubio editio illa an. 1506 quam Wolfius tom. III pag. 617 servari adfirmat in ea bibliotheca et in Bodlejana inter codices Huntingtonianos num. 386, subditque novem plagulis absolvi cum figuris. Sed male Wolfius eam CPolitanam appellat. Est enim Gersonis Soncinatis, ut vidi in titulo exempli sub finem mutili, qui ea aetate non CPoli, sed Fani morabatur. Anno 240 Soncini adhuc non erat erecta hebraica typographia ac Gerson multo post coepit nomen suum apponere, titulusque ipse ornatus ac plurimae figurae, quibus constat, totaque editionis ratio aetatem produnt multo recentiorem. Itaque si reapse eo anno 1506

a Gersone editus est liber, Fani id factum est, si paullo post, Pisauri vel Arimini. Extat etiam haec editio in bibliotheca Medicea, teste Biscionio in Biblioth. heb. Flor. p. 32, qui et ipse eam CPolitanam dicit, Wolfium, ut opinor, non codicis epigraphem secutus.

MCCCCLXXXI

X V

R. Jacobi ben Aseèr Arbà turìm seu IV ordines Soncini an. CCXLI, Chr. MCCCCLXXXI.

Haec editio unius hucusque Bartoloccii auctoritate fulcitur, qui de hoc opere loquens, illud Soncini a Gersonis progenitoribus excusum asserit in Biblioth. rabb. vol. III p. 839, commemorato anno sed non commemorata editionis forma. Ex Bartoloccio eam profert Wolfius tom. I pag. 582, III p. 446, ac IV pag. 447, ex Wolfio Marchand p. 75, ex Marchand Maittairius tom. V parte II p. 527 et Tiraboschius in Indice chronologico italicarum urbium ac principum editionum XV seculi qui vol. VI ejus Historiae litterariae subjicitur pag. 438, qui tamen animadvertit in notis dubium aliquod circa hujus editionis veritatem a me motum fuisse. Protuli reapse olim, de hebraicae typographiae agens origine p. 14, momenta quaedam quae dubiam atque incertam Soncinensem hanc editionem ostendebant, quae ex eo tempore adeo creverunt ut eam jam supposititiis ac falsis accensere non dubitem. Nullum prorsus superest in ulla bibliotheca, aut superesse ullibi dicitur ejus exemplar. Nullum, ut postulabam, deinceps detectum, quo omnis suspicio evanesceret ac constaret certius illam existere. Quotquot memorant, unam Bartoloccii fidem omnes sequuntur. Bartoloccium porro ipsum hanc editionem non vidisse atque alterius fidei et testimonio stetisse ex eo vel maxime evincitur, quod vix eam commemoret, quod formam non referat, quod editores ipsos Soncinates non nominet, quod nullam denique bibliothecam producat in qua custodiatur. Quodque luculentius rem definit, constat ex epigraphe tractatus Beracòth anni 1484 hebraicam typographiam fuisse tantum eo anno Soncini a Nathane extructam ac fundatam, eumque librum esse primissimum illius foetum. Scio equidem Wolfium in earum quinque editionum numerum quae CPolitanam anni 1545 praecesserunt, nostram hanc Soncinensem referre, ac si necessaria prorsus esset ad illius summae complementum, sub illius enim initium manifeste editio ששית seu sexta appellatur. At vero id necessarium non est, quum editiones nonnullae a Wolfio omittantur, ut Cracoviensis anni 299, Chr. 1539, Augustana an. 300, Christi 1540, et Pragensis ejusdem anni, quae nostrae locum tenere possunt, ut nihil dicamus de aliis quibusdam primorum ordinum quae ante illud tempus lucem viderunt. Unde autem error enatus sit, facile non est definire. Forte ex aera primi ordinis seu Orach chaiìm anni 1485. Etenim he postremum hujus aerae quum rabbinicum sit hispanicae inflexionis ac supra lineola insigniatur, facile fuit cum aleph confundi ac legi 241. Quum autem deesset locus editionis et nomen typographi, dicatur tamen a perítissi-

mo ac celebri artifice curata, creditum est factum id a Gersonis progenitoribus seu Soncinatibus qui unici ea aetate celebres habebantur ac Soncini, ubi primum orta et exculta hebraiça typographia summa consensione perhibebatur. Nec improbabile est aliquam reapse Soncinatum editionem hujus operis existere, Fanensi antiquiorem in cujus aera vel epigraphe referenda vel intelligenda peccatum sit, annusque ille pro seriori alio inductus. Hanc certe editionem si cognovisset Saxius, ea tamquam invicto argumento usus fuisset ut hebraicae typographiae primatum Soncino deberi adversus Maffejum ac Quirinium ostenderet qui huic primatui Bononiensem Pentateuchum objiciebant. Hoc enim Pentateucho qui uno anno posterior est, tenacissimum illum ac strenuum patrii decoris defensorem adeo urserunt doctissimi viri, ut illud unum quod reponeret, habuerit effugium, non agi controversiam de anno quo primum adhiberi coeperint hebraici characteres, sed de loco, ubi primum inventi, quod posterius tantum ipse de Soncino defenderat. Jam haec scripseram quod felici casu datum nobis est ignotam Soncinatum editionem hujus operis detegere a Salomone filio Mosis Soncini sine anno et loco, sed Soncini circa an. 1490 vel paullo ante curatam, quam supra suo loco inseruimus. Quamvis ea nec Gersonis progenitoribus debeatur, sed ejus fratri, nec sit anni 1481, nihilque habeat in epigraphe quod ansam praebeat hauriendi hujus anni, verisimile tamen est ex ea nostram hanc Bartoloccium sive alium quempiam confinxisse.

MCCCCLXXXIII

XVI

R. Isaaci Abarbanelis Commentarius in Prophetas priores in fol. Neapoli an. CCXLIII, Chr. MCCCCLXXXIII.

Irrepsit mendosus hic annus in Catal. bibl. Seligm. fol. 1 pro 253, qui et ipse annus compositionis est, non editionis. Plura infra ad hunc annum.

MCCCCLXXXV

XVII

R. Jedajà Appeninì vel R. Salom. Gaviròl Liber Mivchàr appeninìm 4. min. Soncini an. CCXLV, Chr. MCCCCLXXX V.

Catal. biblioth. Seligm. fol. 22 ac Brunsius Annal. Helmst. 1782 p. 203, qui testatur se hanc edit. prae manibus habuisse. Sed ea est anni 244, et error inde ortus videtur quod utrumque exemplar simul compactum haberet ad calcem Bechinàd olàm anni sequentis ejusdem editionis et formae.

XVIII

Ejusdem Bechinàd olàm seu Examen mundi 4. min. Soncini an. MCCCCLXXXV.

Ita hucusque omnes. At dies 24 chislev anni minoris Judaeorum supputationis 245 incidit in mensem decembris decurrentis adhuc christiani 1484, ut ad hunc annum animadvertimus.

MCCCCLXXXVI

XIX

R. Josephi Albo Arbor plantata seu Liber fundamentorum judaicae religionis, dictus Ikkarìm 4. Arimini MCCCCLXXXVI.

Beughem Incunab. typ. p. 6, la Caille *Histoire de l'impr.* p. 51, Orlan-

dus *Orig. della stampa* parte I p. 204 et II pag. 351, Maittaire Annal. typ. tom. I novae ed. p. 481 et V parte I p. 21, Wolfius tom. I p. 504, Labbe Biblioth. ms. p. 345, Arisius Cremona litter. p. 341, Marchand *Hist. de l'impr.* pag. 81, Mercier *Suppl. à l'Hist. de l'impr.* p. 99, Tiraboschius *Stor. letter.* vol. VI pag. 438 nuperrimae editionis Mutinensis. Confuderunt hi auctores Ariminensem editionem hujus libri anni 1522 cum Soncinensi anni 1486, et ex hisce duabus tertiam hanc confinxerunt quae non exstiit. Qui vero eam referunt sub priori titulo Arboris plantatae, ut Beughemius, la Caille, Orlandus et Maittairius, confuderunt praeterea ipsum librum Ikkarìm seu Fundamentorum cum ejus Commentario quem cum ipso textu anno 1618 Venetiis edidit R. Ghedalias filius Salomonis et עץ שתול *Arbor plantata* inscripsit. In praefatione II hujus Commentarii testatur auctor se eum elaborasse anno praecedenti, videlicet anno 377 minoris supputationis, Chr. 1617, non 1517, ut typographico mendo legitur apud Wolfium tom. I pag. 281, traditque in nuperrimo suo Specimine historico-critico editionum italicarum sec. XV p. 9 cl. Audifredi. Quomodo ergo imprimi is potuit anno 1486? Sed sub falso hoc titulo Albonis librum intellexerunt primi illi bibliographi, ut patet ex subjecta interpretatione, de eoque melius, sublato pudendo illo anachronismo, editionem postremi exposuerunt. Atque ego quidem non miror auctores illos editiones earumque aeras et loca, et titulos et libros confudisse qui erant hebraicarum litterarum et rerum inscientissimi. Miror insignem eum anachronismum non vidisse Wolfium ac dubitanter de hac editione scribere „ crediderim eam editionem Ariminensem exhibere tantum Albonis contextum sine Commentario qui proprie Arbor plantata dicitur, cum ״ש Ariminensem solius libri sine anno memoret „ oblitum eorum quae de recentissima hujus Commentarii aetate paullo ante scripserat. At vero nec contextus ipse eo anno Arimini lucem vidit, ac Wolfius qui in I volumine id crediderat, editionem hanc ex Orlandio iterum memorans in IV pag. 848, postquam Ariminensem viderat anni 1522, de illa dubitat, satque locus, forma, epigraphe ac typographus Soncinas ostendunt nostram ex posteriori hac, mutato anno et ex Soncinensi petito, fuisse confictam. Extat sane Ariminensis secunda et Soncinensis in Christianorum ac Judaeorum bibliothecis, et utraque in nostra hac exigua librorum suppellectile, sed prioris anni 1486 nulla vestigia, et Tiraboschius qui eam ex aliorum fide protulerat, ex meo libello De hebraicae typographiae origine meisque litteris de ejus falsitate edoctus, monuit in indice erratorum eam ex catalogo esse eradendam. Nota ad Ariminensem secundam referendam esse editionem illam sine anno et loco quae apud me extat et describitur De hebraicae typogr. origine pag. 68. Habet enim plagulas 37, ut habere Ariminensem ex Oppenheimeri exemplari testatur Wolfius tom. III p. 381, idem character cum eo quo exaratus est Commentarius Rascì in Pentateuchum a Gersone Soncinate Arimini editus, idem ornatus qui in ejus fronte occurrit cum eo qui in eodem

Commentario extat sub initium Levitici ac Deuteronomii. Sed nostrum hoc exemplar incipit sine titulo, quem nec prima signatura postulat, explicitque breviori sex linearum epigraphe hisque typographi verbis אמרתי אני המחוקק השונציני תלו״לה *Dixi ego typographus Soncinas. Laus sit Deo viventi*, sine ulla anni vel loci mentione, nisi folium praecesserit extra numerum àc signaturam ac titulus qui illam contineat. Consimile exemplar videtur habuisse prae manibus Scabtaeus qui hujus editionis annum reticet. Soncinatis autem nomine intelligendus est Gerson, non Hieronymus, ut intelligit Mercierius.

XX

R. Mosis Kimchì Grammatica hebraica 8. *Ortonae an.* MCCCCLXXXVI.

Quum de anno II Caroli VIII regis Galliae annum editionis interpretaretur Chevillerius, eumque anno 1496 respondere assereret, non recte hoc dici notat Wolfius tom. IV pag. 448. „ Constat enim, inquit, ex historiarum monimentis Carolum illum, patre anno 1483 defuncto, anno 1484 aetatis suae 14 die 30 maji Remis solemniter inauguratum fuisse. Hoc posito annus imperii ejus secundus incideret in A. C. 1486 „. Plura de hac editione ad an. 1496.

XXI

Prophetae priores cum Commentario R. David Kimchì fol. Soncini MCCCCLXXXVI.

Omnes hucusque, sed sunt anni 1485, seu in decembrem hujus anni incidit dies VI marchesvan anni judaici 5246.

MCCCCLXXXVII

XXII

R. Bechai Commentarius in Pentateuchum in fol. Pisauri anno CCXLVII, *Christi* MCCCCLXXXVII.

Editionem hanc non solum memorat Wolfius, sed eam vidisse se in Oppenheimeri bibliotheca asserit tom. III p. 142 et IV pag. 794 curatam per Gersonem Soncinatem. Sed posteriore loco mendose per 1527 exprimit annum christianum judaico 247 respondentem. Gerson eo anno, ut vidimus, Soncini imprimebat, non Pisauri, ubi nec ullus extat liber XV seculo hebraice impressus, si ea Biblia excipis quae incertissima ac nulla fide illic dicuntur excusa anno 1494. Nec in illius bibliothecae Catalogo inter septem quae enumerantur hujus libri editiones, nostra haec comparet. Contra reperitur in earum numero Pisaurensis anni 267, Christi 1507, quem tamen Catalogus typographico mendo per רסד seu 264 designat. Ea extat etiam apud me, et dicitur ad calcem absoluta „ sub dominio domini Johannis Sfortiae die XXI sivàn anni ר״סז per manus minimi typographorum ac discipulorum, qui est ex filiis Soncini, et peregrinatur hic (Gersom) in urbe Pisauri „. Hanc ergo epigraphem et aeram legens Wolfius, samech cum mem confudit annumque effecit ר״מז seu 247. Conjeceram olim falsam hanc editionem recensens De hebr. typogr. orig. p. 76 Wolfium in exscribenda epigraphe alterius editionis Pisaurensis anni 274, Christi 1514 quae et ipsa apud nos est, postremum numerum alteri oscitanter praeposuisse et ex 274 effecisse 247. Sed vera

Wolfii erroris origo ex ea editione petenda est quae apud Oppenheimerum extabat, ejusque hallucinatio eo magis est miranda quod Wolfius ipse hanc ipsam editionem hocque ipsum Oppenheimeri exemplar recte in I volumine pag. 231 dixerat esse anni 267, Christi 1507.

XXIII

R. Josephi Albo Liber Ikkarìm seu Fundamentorum fol. Soncini CCXLVII, Chr. MCCCCLXXXVII.

Scabtai in Scifrè jescenìm fol. 59, Wolfius tom. I pag. 503 et ex Wolfio Rodriguez de Castro *Bibliot. Espan.* tom. I p. 228. Est anni 1486 huncque annum rectius deinceps bini postremi auctores constituunt.

MCCCCLXXXVIII

XXIV

Biblia integra in fol. Bononiae anno MCCCCLXXXVIII.

Hodius De Bibliorum textibus orig. p. 449 et Catal. bibliothecae Barberinae. Confusus est locus habitationis typographi, qui in epigraphe Bibliorum Soncinensium memoratur, cum loco editionis qui ei statim subjicitur. Vide dicta ad hanc editionem p. 55 et 56. Neapoli solo ut videtur calami lapsu eam attribuit cl. Tychsenius.

XXV

Makrè dardekè seu Lexicon hebraeo-italico-arabico-rabbinicum in fol. CPoli an. CCXLVIII, Chr. MCCCCLXXXVIII.

Wolfius tom. II pag. 1367, Marchand *Hist. de l'impr.* p. 83, Maittaire tom. V parte II pag. 537, Olaus Celsius Biblioth. Stockol. Historia pag. 195, Catal. biblioth. Seligm. fol. 28 verso, Todarinius *Della letterat. turch.* tom. III pag. 1, ac nuperrime Panzer Annal. typ. tom. I pag. 349, qui tamen subdit Neapolim potius esse locum impressionis optimè me demonstrasse, ut demonstravi reapse De hebraicae typ. orig. p. 76, et supra in hisce Annalibus pag. 61.

MCCCCLXXXIX

XXVI

Talmudicus tractatus Beracòth seu de Benedictionibus in fol. Soncini an. CCXLIX, Chr. MCCCCLXXXIX.

Bartoloccius tom. III pag. 762 Orlandius parte II p. 304, Chevillerius p. 265, ac Maittairius tom. I p. 210 et 505, et V parte I p. 127. Male a Bartoloccio vocabulo גמרא quod verum annum designat 244, Chr. 1484, praepositum ה quod in epigraphe non legitur, ut ostendimus De hebr. typ. orig. p. 21 et in nostris hisce Annalibus pag. 34.

XXVII

Talmudicus tractatus Betzà seu de Ovo in fol. Soncini an. CCXLIX, Chr. MCCCCLXXXIX.

Cum tractatu Beracòth nostrum Betzà conjungunt iidem auctores tamquam eodem anno et loco editum. Sed Bartoloccius quorum fidem sequuntur reliqui, non animadvertit postrema folia Vaticani exemplaris ab eo collati a bibliopego transposita, et aeram iis contentam ad priorem tractatum pertinere, non ad nostrum ad calcem mutilum et aerae incertae. V. supra partem II num. XXII pag. 136.

MCCCCXC

XXVIII

Josephi Gorionidis, dicti Jossiffon, Historia judaica in fol. CPoli an. CCL, Chr. MCCCCXC.

Conveniunt in falsa hac referenda editione auctores complures, Bartoloccius omnium primus tom. III p. 799 et 800, Fabricius Biblioth. graeca tom. IV pag. 250, Prideaux praef. ad Hist. V. et N. T. connexam, Gagnerius praef. ad Josephum Heb., Ittigius proleg. ad Josephi edit. graeco-lat., Breithauptus praef. ad Joseph. Gorion. a se editum nota 99, Wolfius tom. I pag. 516 et 517, Maittaire tom. I sec. ed. p. 529, et V parte I pag. 531, ubi mendose 1480 pro 1490, Calmet Dict. bibl. p. 522, ac nuperrime Panzer tom. I pag. 349, qui tamen monet a me dubiam rationibus non contemnendis demonstrari. Est editio sine anno et loco Abrahami Conati, qui non CPoli sed Mantuae imprimebat. Plura de ea in parte II num. VI.

XXIX

Biblia 8. Brixiae an. MCCCCXC.

Lesseri Typographia jubilans p. 77 et Zuverlässige Nachrichten parte XIV p. 142 ex typographico errore pro 1494. V. Clement *Bibliot. curieuse des livr. rar.* vol. IV pag. 26, et quae nos ad hunc annum de iis Bibliis fuse annotavimus.

XXX

R. Bechai Chovàd allevaròth seu Debitum cordium 4. CPoli an. MCCCCXC.

Rodriguez de Castro *Bibliot. Esp.* tom. I p. 79 ex Disquisitione mea de hebr. typ. orig. pag. 42, ubi tamen non CPoli, sed Neapoli recte prodiisse dicitur.

MCCCCXCI

XXXI

Biblia Venetiis per Bombergium an. MCCCCXCI.

Supposititiis editionibus hanc accensendam esse quam protulit Hodius De textibus origin. p. 449, jam animadvertit Wolfius tom. II p. 365 et Fabricy *Des titres primitifs* tom. II pag. 385. „ Prima enim editio Bombergiana, inquit Wolfius, facta est an. 1518, et ipse Bombergius literas hebraeas post annum 1515 a Felice Pratensi didicit, quod ex praefatione ad Biblia anni 1518 patet „. Quotquot ergo hebraicae editiones Venetae vel Bombergianae annum hunc, vel an. 1517 quo data est ea praefatio, praecesserunt seu praecessisse dicuntur, eae falsae sunt.

XXXII

Biblia in fol. 4. et 8. an. MCCCCXCI.

„ Prima, inquit Hottingerus Biblioth. quadrip. pag. 125, observatur prodiisse editio anno Chr. 1491 in folio, quarto et octavo quae emendatissima est, sed raro nostris visa. Buxtorfius monet exemplar in octavo ejusmodi apud Judaeos semel tantum se vidisse „. Buxtorfius profert reapse triplicem hanc editionem, sed eam refert ad an. 1494, non 1491. Conferantur quae nos infra annotamus ad editiones Pisaurenses illius anni. Hottingeri errorem sequitur Widekindius in Berlinische Bibliothek vol. I p. 154. Sed Clement Hottingeri verba producens, de binis prioribus formis dubitat,

non tamen de tertia a Buxtorfio inspecta, quae est proculdubio Brixiensis anni 1494.

XXXIII

R. Meir ben Jacob Franci Mascàl akkadmonì seu Proverbium antiquum in 4. absque loco an. MCCCCXCI.

Falsa editio ab Hyde allata in Catal. biblioth. Bodlej. tom. I p. 447 et ab Orlandio *Origine della stampa* parte II pag. 365. Libri auctor est R. Isaac fil. Salomonis Sahola, non Meir Francus vel Franzoni, qui non est nisi illius editor. Ejus porro editio quam possidemus, etsi locum et annum non referat, dubitari tamen nequit quin Venetiis perfecta sit circa dimidium sec. XVI, quo illic florebat ille typographus, quem recte suspicatur Wolfius eundem esse cum Meir ben Jacob ex filiis Franzo, cujus studio Venetiis editus est Morè nevochìm anno 1555 et Responsa rabbènu Ascèr anno 1552. Duos alios libros ipse possideo ab hoc eodem typographo editos eodem charactere eademque forma, qua noster Mascàl akkadmonì, videlicet librum Cuzarì et Sahar ascamàim. Uterque dicitur Venetiis impressus, ille quidem anno non designato, sed alter anno 307, Chr. 1547. At vero undenam repetenda est Hydii hallucinatio? Certe ex vocabulo מא״ר *Meir* quod in nostra editione ac commemoratis omnibus lineolis superius insignitur et creditum est annum indicare. Si enim illud supputas, annum dat 251, Chr. 1491. Patet autem cuique manifestissime non ad anni, sed proprii nominis designationem fuisse ab editore illo lineolis notatum. Ex eodem fonte seu vocabulo ad aeram perperam translato ortus est error ms. Catalogi biblioth. Vaticanae, qui librum Divrè ajamìm lemalchè Tzorfath, seu Annalium regum Galliae ad eundem annum 1491 amandat.

XXXIV

Psalterium Job Proverbia 4. min. Neapoli an. MCCCCXCI.

Dies XXIX chislev anni 251 quo absolutum est Psalterium, incidit in decembrem exeuntis anni nostri 1490, ut monemus ad hanc editionem p. 79, non 1491, ut antea fecimus De ignotis sacri textus editionibus pag. 12 et in Var. Lect. tom. I pag. CLI.

MCCCC XCII

XXXV

Pirkè R. Elièzer seu Capita R. Eliezeris 4. CPoli an. CCLII, Christi MCCCCXCII.

Per Jehudam ben Josef Sason. Editio haec quam Wolfius tom. III p. 110 non modo memorat, sed vidisse testatur in toties laudata Oppenheimeri bibliotheca, supposititia est atque ex prava annorum supputatione enata. Ea extat etiam apud me diciturque ad calcem absoluta יום שלישי י״ג ימים לחדש אייר בפרש׳ ואכלתם לחמכם לשובע שנת ה׳ בר״ן י״חד ליצירה במדינת קושטנטינה רבתי אשר היא תחת ממשלת אדוננו המלך סולטן סלים יר״ה „ feria III die XIII mensis ijar sectione *et comedetis panem vestrum ad saturitatem*, anno V̄. CCLXXIV orbis conditi in urbe magna vel magnae CPolis quae est sub dominio domini nostri regis sultani Selìm cujus majestas exaltetur „. Wolfius in notanda aera solam dictionem בר״ן ad calculum revocans,

alteram quae sequitur י"חד, neglexit. Porro non modo ea punctis vel lineolis superius instruitur ut prior illa, ex quo intelligitur eam in annorum supputationem esse necessario assumendam, verum et ex subjecto Selimi imperio ejusque aetate evidentissime constat nulla ratione posse editionem referri ad annum 1492. Patri namque Bajazetho quem renunciare imperio sibique cedere coëgit, anno tantum 1512 successit Selimus, ex quo fit, ut hoc anno posterior statuí debeat editio quae eo regnante lucem adspexit. In hunc eundem Wolfii errorem cecidit auctor Catalogi ejusdem bibliothecae Oppenheimerianae qui fol. 37 nostram editionem et ipse refert ad annum 252. Ex qua consensione suspicari licet bina puncta vel lineolas in secunda dictione in Oppenheimeriano exemplari non satis apparere, vel etiam ex praeli defectu deesse. In meo aperte adsunt, ut et in Bodlejano, quod referens auctor Catalogi Bodlejani in alium errorem lapsus est plane oppositum. Nam pro totidem unitatibus accepto ה praecedenti quod millenaria denotat ac pro minori supputatione et aera quae est major et integra, ad annum 279, Chr. 1519 editionem transtulit, teste erroremque confirmante Wolfio T. I p. 174.

XXXVI

R. Immanuel filii Salomonis Mechabberòth seu Compositiones poeticae 4. Brixiae MCCCCXCII.

Pertinent ad annum 1491 ad finem vergentem, non ad 1492, ut parum accurate hucusque relatae sunt ab omnibus qui de iis egerunt. Conf. quae diximus sub n. XXXIX partis I p. 85.

XXXVII

Avicennae Canon hebraice translatus in fol. Neapoli an. MCCCCXCII.

Absolutus est mense novembri anni christiani 1491, seu in hunc mensem et annum cadit dies VI chislev, non in annum 1492, ut hucusque ab omnibus traditum est. Vide pag. 86.

MCCCCXCIII

XXXVIII

Prophetae priores, seu Josue Judices Samuel ac Reges cum Commentario R. Isaaci Abarbanelis in fol. Neapoli anno CCLIII, *Chr.* MCCCCXCIII.

R. Scabtai in Sciftè jescenìm pag. 86, le Longius tom. I pag. 75, Wolfius tom. II p. 397, Maittaire tom. I p. 317 et V parte I p. 155, Orlandius parte I p. 129 et II pag. 296, Kennicottus *The ten ann. Accounts* p. 104 et Maschius Biblioth. sacr. tom. I p. 136. Confusus est locus et annus compositionis Commentarii Abarbanelis cum loco et anno editionis. Quod et recte primum le Longius, ac deinceps Casanatensis bibliothecae Catalogi auctores tom. I p. 649 suspicati sunt. Est enim Abarbanel ipse qui in epigraphe loquitur ופה נשלם אשר ראיתי לבאר בספר הזה והיתה השלמתו ביום האחרון מחדש אלול שנת גר"ים הייתם ותהלה לאל ית' „ Hicque explicit quod mihi visum est exponere de libro hoc, contigitque finis ejus in diem postremam mensis ellul anni *peregrini* (CCLIII) *fuistis*. Laus Deo benedicto „. Hoc eodem anno 253, Christi 1493, non 5252, Chr. 1492, ut habet Majus in Abarbanelis Vita pag. 9, appulisse se Nea-

polim cum omni familia sua ac commentatum esse in libros Regum testatur Abarbanel in praefatione iisdem libris praemissa, consentiuntque diligentiores ejus vitae scriptores Judaei ac Christiani, praesertim vero anonymus auctor prologi ad illius Commentarium in Danielem, quem מעייני הישועה *Fontes salutis* inscripsit. Abarbanel ipse singulos suos libros enarrans in Responsionibus ad R. Saul Coèn Venetiis editis anno 1574, tres solos ex iis CPoli editos notat fol. 12, videlicet Rosc amanà, Zèvach pèsach, Nachalàd avòth qui reapse illic simul editi sunt anno 1506, biennio ante quam moreretur. Reliquos omnes ut mss. recenset. Itaque si annus ille compositionis est, non editionis, quonam tempore quove loco eam prodiisse arbitrabimur? Est in manibus nostris vetusta haec priorum Prophetarum editio cum Commentario Abarbanelis a Soncinatibus facta sine die et consule. Ea iisdem typis constat, quibus alia editio Pisaurensis eorumdem Prophetarum cum Commentario Kimchì anni 1511, eadem etiam, ut alibi animadvertimus, sacri textus compositio retenta, Kimchianae expositioni substituta altera Abarbanelis, ut factum est in Prophetis posterioribus qui et ipsi cum utroque hoc Commentario eorumdem Soncinatum opera eodemque charactere Pisauri anno 1516 et 1520 lucem viderunt. Dubitandum ergo non est quin nostri hi vel eodem anno 1511 vel paullo post in eadem urbe fuerint impressi. Ex hac editione alii alias solius Abarbanelis Commentarii variarum urbium falsique illius anni confingunt quas seorsim enumeramus.

XXXIX

Iidem Prophetae priores cum Commentario Abarbanelis in folio Pisauri an. MCCCCXCIII vel MCCCCXCIV.

Kennicottus Dissert. gener. ad cod. 262, qui subdit impressum hunc codicem Pisauri credi, sed non constare. Ac recte quidem id creditur et constat, ut mox vidimus. Quod falso creditur nec constat, hoc est alterutro eo anno prodiisse, de quo ipse non dubitat. Quae ab eo producitur epigraphe, ex Samuelis libro petita est, quo Parisiense exemplum desinit.

XL

R. Isaaci Abarbanelis Commentarius in Prophetas priores, seu Josue Judices Samuelem ac Reges in fol. sine loco an. CCLIII, Chr. MCCCCXCIII.

„ Absolutis, inquit Bartoloccius Biblioth. rabb. tom. III p. 877, omnibus istis Commentariis in Prophetas priores statim omnes simul fuerunt excusi, eodem scilicet anno 253, Chr. 1493, sumpto symbolo ex Exod. XXII 24, quoniam גר"ים *Gherim peregrini fuistis*. In fol. apud haeredes Soncinates qui Soncini in Lombardia, Bononiae, Arimini, Pisauri et alibi chalcographicam artem exercebant apud Judaeos „. Et paullo infra pag. 880 sub Rosc amanà eundem errorem confirmat, adfirmans Abarbanelis libros ante ejus mortem non fuisse excusos, exceptis Prophetis prioribus anno 1493 impressis. Mirum sane quod eum compositionis annum accurate non distinxerit Bartoloccius, vir in hebraica bibliographia versatissimus, ac posteriora ea verba subdiderit qui paullo ante et paullo post notat binos libros, Rosc amanà et Zè-

vach pèsach, anno 5266, Chr. 1506 CPoli fuisse excusos, biennio antequam auctor moreretur. Obiit enim Patavii anno 1508, ut bis idem Bartoloccius animadvertit. Conferantur antea dicta.

XLI

Idem Abarbanelis Commentarius in Propheta priores in fol. Neapoli anno CCLIII, *Chr.* MCCCCXCIII.

Wolfius tom. I pag. 631 et III p. 541, Maittaire tom. I novae ed. pag. 555, et V parte I p. 3, Orlandi parte II pag. 267, Clement *Bibliot. cur. des livr. rar.* tom. I pag. 7, Gerdesius Florileg. lib. rar. p. 1, Bibliotheca lib. rar. univ. Suppl. tom. I p. 2, Boissi *Dissertations crit. pour servir à l'hist. des Juifs* tom. II p. 261. Quibus auctoribus addendus est auctor Catal. bibliothecae Oppenh. seu Seligm. fol. 1 qui notat annum 243 pro 253. Ii communi errori locique et anni confusioni quam supra num. XXXVIII redarguimus, hunc addunt quod sacrum textum omittant qui in editione extat.

XLII

Idem Abarbanelis Commentarius in Prophetas priores in fol. Thessalonicae an. MCCCCXCIII.

Index bibliothecae Barberinae in fol. Romae 1681 tom. I p. 2, Beughem Incunab. typ. p. 2, la Caille p. 51, Orlandi parte I p. 213, et II p. 267, Maittaire tom. I novae ed. pag. 555 in notis, Bibliotheca lib. rar. univ. Suppl. tom. I p. 2, Clement tom. I p. 7. Male editionis locum qui reticetur et est Pisaurum, Thessalonicam hi auctores conjecerunt. In anno eadem cum reliquis erroris origo.

XLIII

Idem Abarbanelis Commentarius in Prophetas priores in fol. Venetiis an. CCLIII, *Chr.* MCCCCXCIII.

„ Opportune hoc loco succurrit, inquit Majus in Vita Abarbanelis pag. 14, tertiam quoque extare editionem, Venetam scilicet an. 253, seu 1493, fol. editam quam tamen videre nunquam mihi contigit „. Nec porro ulli contigit aut continget, quum nemo praeter Majum ejus mentionem faciat, nullumque esset adhuc Venetiis illius exemplar, immo nulli typi quibus excuderetur. Sic ex una eademque editione quae Pisauri prodiit sub initium XVI seculi, mendosa assumpta et retenta aera quae ad eam non spectabat variisque mutatis locis et urbibus, multae factae sunt sec. XV supposititiae ac falsae.

MCCCCXCIV

XLIV

Biblia sine punctis in fol. et 4. Pisauris an. CCLIV, *Chr.* MCCCCXCIV.

Conradus Gesnerus in Partit. theol. tit. 2 pag. 12 et in Pandectis tit. 21 p. 40, Buxtorfius Biblioth. rabb. pag. 268 ed. 1613, Hottingerus Biblioth. quadrip. p. 125, Scriverius apud Wolf. Monum. typogr. tom. I pag. 384, le Longius tom. I p. 62, Wolfius tom. II p. 364, Orlandius parte II pag. 295, Chevillerius De orig. typog. pag. 80, Maittairius tom. I p. 492 et 570, et V parte I p. 135, Schelhornius Amoenit. litter. tom. II p. 419, Hermannus von der Hardt Memoria secul. Ximenii pag. 45, Carpzovius Critica sacra pag. 425, Schulzius in Critica recensione

edit. Gersonianae p. 22, Biblioth. lib. rar. univ. tom. I pag. 96, Maschius Biblioth. sacr. tom. I p. 57, qui tamen monet a me in dubium vocari De heb. typ. orig. p. 80. Ac nostras has editiones respicit Hodius, qui Biblia Pisauri ante annum 1506 impressa adfirmat De textibus orig. p. 449, tum Chamberius et gallicae Encyclopediae auctores qui asserunt antiquiores hebraicorum Bibliorum editiones esse eas quae a Judaeis Italis Pisauri potissimum ac Brixiae factae sunt.

Quamquam porro multi iique gravissimi auctores in duplici hac editione vel forma memoranda conveniant, nemo tamen est inter eos, cui ullum unquam videre contigerit illius exemplar nec in folio, nec in quarto impressum. Nullum ullibi extat nec in privatis Judaeorum vel Christianorum bibliothecis, nosque qui in exquirendis et congerendis antiquissimis Bibliorum hebraicorum editionibus multum studium diuturnamque operam posuimus, multaque rariorum editionum exempla felicissime corrasimus, harum Pisaurensium ne volam quidem ac vestigium indagare potuimus, quod certo quidem ad hanc urbem et aetatem pertineat. Ipsa earum recensio ac descriptio varia est, incerta, inconstans, erronea. Alii binas editiones, alii tres seu triplici forma, alii unam tantum commemorant. Plures eodem anno editiones in eadem urbe lucem vidisse vix credibile. Hinc alii binas priores seu nostras has respuunt, solam in octavo, de qua infra, ut genuinam accepiant, sunt qui illas reapse diversas contendant, sunt qui credant sola forma diferre. Alii dicunt esse sine punctis, alii de hoc silent, sunt et qui utroque modo referant, ut le Longius, nec binas aut tres, sed sex editiones multiplicent. Nullus Pisauri decurrente XV seculo certo impressus est hebraicus liber, nulla illic erecta horum librorum typographia. Pisaurensis typographus Abraham ben Chaiim nullum in patria, ut p. 14 vidimus, librum edidit. Pisaurenses editiones non paucae quas habemus, omnes ineunte sec. XVI factae sunt a Gersone Soncinate qui hebraicos typos primum Fanum, deinde Pisaurum omnium primus devexit, quique anno 1494 non Pisauri, sed Brixiae imprimebat, et quidem imprimebat integra Biblia.

Quae quidem Biblia hoc ipso anno edita in quarto minori vel octavo innuere auctores illos voluisse et Pisaurum illis Brixiae loco excidisse pro certo tenendum est, constatque etiam luculentissime ex verbis quae subjiciunt *in ditione Venetorum* quae de Brixia sane dici possunt et dicuntur reapse in epigraphe editionis Brixiensis, de Pisauro non possunt. Verba haec manifeste descripta sunt ex eadem epigraphe editionis Brixiensis anni 1494 et ad eam pertinent. Pertinent ergo et ad eandem editionem Biblia Pisaurensia de quibus dicuntur. Hocque eo verisimilius, quod a Gesnero qui omnium primus binas has editiones commemorat, dicantur de sola forma in 4., non de altera in folio, quod illa dicatur hanc praecessisse, et quod tandem neutra dicatur punctis destituta. „ Biblia, inquit, impressa Pisauri in ditione Venetorum in 4. primum anno Domini 1494 correctissima. Biblia rursus Pisauri excusa eodem tempore in-

tegra in folio „. Alibi quoque in folio „. Posteriorum nomine quorum forma Brixiensibus accomodari nequit, et quorum aera non satis definitur, vel Soncinensia intellexit Gesnerus a Pisaurensi typographo edita, vel Pisaurensia anni 1517 quae unica extant integra in ea urbe excusa. Primum verisimilius. Facile enim fuit typographi patriam cum loco impressionis confundere, et ut sunt qui editionis urbem cum urbe incolatus Abrahami ben Chaiim confundentes, Biblia Soncinensia dixerunt Bononiae edita, esse optime potuerunt et extitisse revera videntur qui neglectis vel non sat intellectis aut lectis etiam aliter praecedentibus verbis, מן הצבועים מארץ פיסרו *ex tinctoribus regionis Pisauri*, Pisauri excusa crediderint.

XLV

Biblia cum punctis in 8. Pisauri an. CCLIV, Chr. MCCCCXCIV.

Pellicanus in nota ms. ad Turicense exemplar, Buxtorfius Biblioth. rabb. p. 268, Hottingerus Biblioth. quadrip. p. 125, le Long tom. I p. 62, Lomejerus De bibliothecis cap. XIII, Wolfius tom. II pag. 364 et 961, Orlandius parte II p. 295, Maittaire loco laudato, Schelhornius Amoen. litt. vol. II p. 419, Walchius Biblioth. exeg. pag. 13, Schulz Critica recensio editionis Gerson. pag. 22, Bibliotheca lib. rar. univ. tom. I p. 96, Clement Biblioth. cur. lib. rar. tom. IV pag. 27, Masch tom. I p. 11, quibus et Kennicottus accensendus est in Relationibus ann. collationis pag. 104. Hujus editionis exemplar possidebat Conradus Pellicanus, quod adhuc servatur Turici in bibliotheca Carolina habetque ad calcem manu ipsius Pellicani scripta haec verba: „ Impressa in dominio Venetorum urbe Pisauris, anno Domini 1494. Conradi Pellicani dono Jodoci Galli Rubeaqueñ avunculi „. De hac eadem editione sic Pellicanus in Vita sua: „ Eodem anno (1500) providentia Dei contigit bibliopolam Tubingensem attulisse Biblia hebraica integra minima forma impressa Pisauri in Italia, quae nemo curabat. Ego audiens, rogavi virum, sineret me opus aliquot diebus inspicere; dedit dicens, floreno cum dimidio posse emi. Audiens tam parvo aere comparari posse, exultavi ec. „. Exemplar alterum Pisaurensis nostrae editionis apud Judaeos semel tantum se vidisse testatur Buxtorfius, eamque nuper demum in bibliotheca Carolina inspicere sibi contigisse Hottingerus adnotat. Quo factum est, ut in tantorum virorum productorumque exemplarium fide secure jam auctores reliqui acquieverint, Davidque Clemens qui de binis prioribus editionibus in folio et quarto dubitaverat, nostram hanc in 8. verissimam censeat et *bien constatée*, seu indubiis argumentis firmissime ac plenissime comprobatam.

Quum vero aliter mihi videretur et editiones omnes Pisaurenses hujus anni triplicis formae suppositiis annumerarem in Disquisitione de heb. typ. orig. p. 80, contenderemque Pellicani exemplar ad Brixiensem editionem spectare quae hoc anno in ea forma prodiit, cl. Maschius ut certi quidpiam de hac re statueret in nova quam parabat Bibliotheca sacra, Tigurinum ipsum exemplar, ad quod tota quaestio revocabatur, diligenter conferendum censuit. „ Characteres itaque certos et in-

dubios, inquit is tom. I p. 12, editionis Gersonianae seu Brixiensis codicis cum cl. Hesso verbi divini ministro apud Tigurinos communicavi qui illos adjuvante cl. J. J. Breitingero qui jam ad superos abiit, cum codice Tigurino accurate contulit. Maximus certe est inter utrosque codices consensus; nihilo tamen secius manifesta extant criteria quae diversam editionem satis produnt. 1) In codice Berolinensi seu Brixiensi primum singulorum librorum verbum calamo est exaratum, in codice Tigurino seu Pisaurensi in Pentateucho observatur spatium vacuum, reliquorum vero librorum primum verbum typis majusculis est expressum. 2) In Brixiensi Psalmus xc numeratur per צ, et Ps. xci idem habet signum, nimirum צ, in Tigurino Ps. xc habet צ, et Ps. xci צא. 3) In Brixiensi Es. ix 6 in למרבה mem clausum conspicitur, at in Tigurino mem ordinarium seu opertum est expressum. 4) Ad calcem Danielis in codice Berolinensi legitur ושבחו, in Tigurino ושמחו, quod utrumque vitium typographicum involvere videtur „. Quae cum ita sint, testatur doctissimus vir, in partes meas ut abeat, a se impetrare haud posse, satis accurate antiquissimas Bibliorum hebraicorum editiones a me delineari, sed criteria ista studiose esse examinata, hinc exemplar Tigurinum a codice Brixiensi diversum esse omnino statuendum, quamvis Tigurinum ad Brixiense esse formatum et exscriptum lubens concedat.

Nulla sane via ad eruendam veritatem ac quaestionem dirimendam expeditior, aptior, certior, quam ut Tigurinum ipsum exemplar accurrate conferretur. Quod enim robur ad illud conficiendum habere unquam potest nuda illa ac simplex Pellicani vel Buxtorfii assertio? Buxtorfium non moror qui semel videns facile memoria labi potuit, nec semel in referendis libris et aeris erravit, et in cujus verbis Herbornae recusis Pisauri nomen omittitur. Sed unde didicit Pellicanus suum illud exemplar Pisauri et anno 1494 impressum fuisse? Ex ullane ejus epigraphe? Atqui „ nec in fronte, inquit Maschius, nec ad calcem Pentateuchi aut totius operis ulla extat aut temporis, aut loci, aut impressoris nota, sed editio est sine die et consule „. Editio sine die et consule quomodo a Pellicano conjicitur aut a Maschio defenditur in ea urbe eoque anno prodiisse? Ex collationene characteris cum Pisaurensibus aliis ejus aetatis libris qui nulli extant, aut sequentis aetatis qui nulli adhuc extabant et longissime differunt? In quanam porro urbe id conjicitur? Pisaurine in dominio Venetorum quod nullibi extat? Vel ex solo hoc additamento patet manifestissime Pisaurum loco Brixiae Pellicano, ut de ceteris auctoribus supra animadvertimus, excidisse, ac de Brixiensibus Bibliis loqui eum voluisse quae hoc ipso anno in ea forma edita sunt, et in quorum epigraphe ea verba leguntur. Sed melius id demonstrat ac luculentius conficit ipsa codicis collatio. Producta diversitatis criteria ac discrimina, si vera essent, ad varietatem exemplarium, non editionis essent referenda. Sita enim sunt in una aut altera littera, et in rebus minimi momenti, in quibus saepe unius ejusdemque editionis exempla dissident. At vero quum contulerim et

ipse varia quae apud me reperiuntur, Brixiensium Bibliorum exemplaria ac nullum, ne minimum quidem, in controversis locis a Maschio prolatis discrimen compererim, de iis vehementer dubitavi ac Tigurinum codicem diligentius iterum examinandum duxi. Praestitit autem id humanissime et accuratissime cl. Hess, philosophiae professor et colleg. canon. praepositus, nec non bibliothecae Carolinae praefectus, meo nomine a cl. Schnurrero, doctissimo linguarum orientalium professore in Tubingensi academia et amico meo singulari rogatus, uberrimamque codicis descriptionem ad me transmisit ex qua certo liquet, ut monui jam in Appendice ad Bibliothecam Maschianam p. 30, cuncta illa diversitatis indicia Maschio olim communicata falsa prorsus esse ac Tigurinum exemplar esse sine dubio Brixiense. In Pentateucho observatur spatium vacuum, reliquorum librorum primum verbum typis majusculis, ut in editione Brixiensi in omnibus meis exemplis. Uterque Psalmus XC et XCI notatur per צ, Esaiae IX habet לםרבה cum mem finali ac clauso, et ad calcem Danielis ושבחו per beth, ut Biblia Brixiensia, eadem forma, idem character sive major, sive minor, iidem tituli, libri omnes, paginae, lineae eodem modo incipiunt et desinunt, idem linearum numerus, idem foliorum cujuslibet libri et totius operis, eadem ubique spatia, iidem custodes, eadem in plenis, defectivis, ac minutissimis quibusque rebus lectio, omnia uno verbo adeo perfecte et adamussim conveniunt, ut dubitandum jam non sit, quin ille Pellicani codex sit eorumdem Bibliorum exemplar, sed postremo folio, ubi sola seorsim impressa conspicitur epigraphe, mutilum. Comparatio ipsa ac consensus variarum lectionum Kennicottum in meam opinionem pertraxit, convicitque Tigurinum codicem seu Pisaurensem eundem esse cum Brixiensi, seu cod. 396 suae collationis eundem cum 264. V. ejus Diss. gen. p. 100. Convictus jam et Maschius ipse, in postremo vol. postea edito an. 1790 ac nuper a me accepto p. 7 editionem hanc cum binis praecedentibus inter falsas recensuit.

XLVI

R. Isaaci filii Jacobi Alphesì opus Alphesì dictum, seu talmudicarum constitutionum Compendium cum variorum animadversionibus, in fol. 3 voll. CPoli anno CCLIV, Chr. MCCCCXCIV.

Wolfius tom. I p. 661, et III p. 570. In fuso poemate Davidis filii Josephi ben Jachiae, quod extat ad calcem III voluminis, dicitur absolutum opus in magna CPoli שנת הר"סט *anno* 5269, Chr. 1509. Sed Wolfius aeram hanc percurrens in Oppenheimeri exemplari samech pro mem et quinque millenaria pro quinque unitatibus accepit, legitque vel effecit annum minoris supputationis 254, Chr. 1494. Errorem ex binis aliis praecedentibus epigraphis, si eas animadvertisset ac consuluisset, facile corrigere poterat Wolfius, in quibus bis annus editionis per vocabulum ואב"רכם minoris supputationis VI millenarii, seu 269, innuitur. Ex Wolfio hanc editionem, quam tunc non videram, protuli De hebr. typ. orig. p. 54, ex utroque Denisius Suppl. p. 371 et Panzer tom. I

p. 349. Quodsi Wolfius aeram praevertit, Catalogus Seligmannianus illud ipsum referens Oppenheimeri exemplar fol. 3 verso, ad seriorem aetatem seu ad 289 amandavit.

XLVII

Pentateuchus cum V Meghillòth et Aphtaròth, in 8. *Brixiae MCCCCXCIV.*

Est anni 1493, seu in initium decembris hujus anni nostri incidit dies XV chislev anni judaici 254, ut ad hanc editionem monuimus pag. 97.

XLVIII

Psalterium in 16. *vel* 24. *Brixiae MCCCCXCIV.*

Rectius anni 1493, ut ostendimus p. 99. Exeunti enim decembri hujus anni respondet dies VII tebeth an. 254.

MCCCCXCV

XLIX

R. Isaaci Abarbanelis Rosc amanà seu Caput fidei, in 4. *CPoli an. CCLV, Chr. MCCCCXCV.*

Scabtai in Scifiè jescenìm fol. 69. Est anni 266, ut recte notat Wolfius T. I p. 637 et de Boissi *Diss. crit. pour servir à l'hist. des Juifs* vol. II p. 293, in quo tamen Scabtaei locus mendose producitur. Nec annus ille christiano respondet 1506, ut tradit uterque, sed 1505, ut infra monebimus.

L

R. David filii Josephi Avudrahàm Commentarius precum dictus Avudrahàm, fol. Ulyssip. an. CCLV, Chr. MCCCCXCV.

Ad hunc annum olim retulimus De hebr. typ. orig. pag. 56. Sed est anni 5250, seu 1489, vel 1490. Vide observata ad hanc edit. p. 69.

MCCCCXCVI

LI

R. Mosis Kimchì Liber dikdùk seu Grammatica hebraica, in 8. *Ortonae anno MCCCCXCVI.*

Chevillerius p. 264, Marchand p. 90, Maittaire tom. I novae edit. pag. 630 et V parte I pag. 536, Mercier Suppl. p. 117, Tiraboschius Hist. litt. tom. VI pag. 445. Sed hic in erratis ad calcem III partis vol. VI monet ex Disquisitione nostra de heb. typ. orig. editionem hanc ad supposititias esse amandandam. Quum in titulo Ortonensis editionis, cujus duplex apud nos extat exemplar, liber dicatur נדפס שלישית תחת ממשלת אדונינו המלך דון קארולו מלך ציציליה וירושלם וכו׳ ה׳ יגדל כסאו למעלה בשנה השנית למלכו יר״ה על ידי צעיר המחוקקים קטן התלמידים והוא גר שם אור״טונה הקריה „ tertio editus sub dominio domini nostri regis don Carolo regis Siciliae ac Jerusalem etc., cujus solium amplificet Dominus in dignitate vel gloria, anno II regni ejus, cujus majestas extollatur, per manus minimi typographorum et exigui discipulorum, qui peregrinatur hic (Gerson) in urbe Ortonae „, de Carolo VIII rege Galliarum ii auctores interpretati sunt, et de secundo anno ejus imperii qui anno 1496 respondet. Verum insigniter hallucinantur. Neapolitani regni dominium ea aetate tenebat Ferdinandus filius Alphonsi, sique Carolus VIII anno 1494 ab Alexandro VI ejus regni potestatem sibi tradi curavit victorque Neapolim anno sequenti ingressus est, eam paucis post mensibus amisit. Sane editio de qua agimus, frontem libri praesefert seu separatum ti-

tulum, et aeram et locum et typographum, ut vidimus, in eo designatum, quod est serioris aetatis indicium. Falsum enim est quod asserit Wolfius tom. III p. 812, ea in calce notari. Ad recentiorem etiam aetatem eam referendam esse ex eo manifeste colligitur, quod in fronte dicatur tertia editio. Quaenam porro sunt binae illae editiones, quae non dicam jam annum 1461, quod ridiculum est, sed annum 1476 vel 1486, vel nostrum 1496 praecesserunt? Totidem enim sunt anni et aerae diversae Ortonensis editionis quae a doctis statutae sunt, omnes falsissimae. Recte Bartoloccius ac Scabraeus Pisaurensem editionem anni 1508 tamquam omnium primam constituunt, antiquior, quae quidem vere et certe ejusmodi sit, nulla dignoscitur, doctique ipsi, binas assignare coacti antea factas, haerent omnes ad aquas. Adde nec cum eo anno 1496 conciliari posse Commentarium R. Biniamini fil. Jehudae Romani seu potius R. Eliae Levitae qui in hac editione occurrit. Elias namque Levita, cui Biniamin ille ejus amanuensis eum furatus est, nonnisi anno 264, Chr. 1504, eum Patavii composuit, nec nisi anno 1508 primum illum sub suo nomine Pisauri Biniaminus vulgavit. V. Wolf. tom. I pag. 154.

Itaque Carolum illum esse Carolum V imperatorem, Hispaniae ac Siciliae regem, ego existimo ac pro certo habeo, qui anno 1517 regnum assumpsit, hancque editionem quae facta est anno ejus regni secundo, nonnisi anno 1519 prodiisse. Erant autem reapse eo tempore Ortonae typographi Soncinates, ut constat ex Galatini Arcanis catholicae veritatis quae illic anno praecedenti 1518 edidit Hieronymus Soncinus, contra anno 1496 ac praecedentibus Gerson longissime distabat. Hocque anno rectius constituto, facile jam assignari queunt binae priores editiones, ambae Pisaurenses, altera anni V Julii II seu an. 1508 quam diximus, altera sine anno ab eodem Gersone Soncinate curata quae in manibus meis est, hucusque ignota, ut nihil de Hagenoensi dicam ejusdem anni 1519, quae et ipsa in exigua hac nostra bibliotheca reperitur. Jam vero si auctores illi antiquiorem quam par est, editionem hanc statuunt, eam nimis recentiorem facit le Longius, qui in Biblioth. sacra tom. II pag. 1177 illam ad annum 5315, seu 1555 refert quo jamdudum Gerson CPoli obierat. Videlicet is male pro anno accepit et supputavit postremum tituli vocabulum הקריה, quod eum numerum dat, sed ad annum non pertinet.

LII

R. Mosis Kimchì Grammatica hebraica 8. *Pisauri an. MCCCCXCVI.*

Wolfius tom. II p. 961, Maittaire tom. I p. 630 et V parte I p. 536, Marchand p. 90, Mercier pag. 117, qui et putat unam esse ex duabus quae Ortonensem praecesserunt. Dicitur facta per Soncinates qui eo anno Pisauri non morabantur, et serius in eam urbem hebraicos typos introduxerunt. Prima editio Pisaurensis a Soncinatibus facta hujus libri est ut paullo ante diximus, anni V pontificatus Julii II, seu an. 1508, cui altera eorumdem Soncinatum successit pariter Pisaurensis sine anno et loco. Ex alterutra conficta

est nostra, vel Wolfio qui primus eam memorat, Pisauri nomen pro Ortonae excidit. Quod eo verisimilius est, quod in solo indice urbium eam proferat, sub Mose vero Kimchio, ubi opportuniore loco ac suo proferri debebat, perpetuo illam omittat. Wolfius eam Kimchii dixit, Maittairius qui eum secutus est, alium errorem addidit, illam Davidi attribuens, quae Mosis ejus fratris est.

LIII

R. Isaaci Abarbanelis Zèvach pèsach seu Sacrificium paschatis, in fol. Monopoli an. CCLVI, *Chr.* MCCCCXCVI.

Majus in Vita Abarbanelis p. 15, confundens locum et annum compositionis cum loco et anno editionis, nec animadvertens esse auctorem ipsum qui in epigraphe loquitur: ופה נשלם מה שרציתי לבאר בזה . והתהלה לאל אשר היישיר לפני דרכו וכבודו עלי זרח . והיתה השלמתו בעיר מאנופולי ממחוז הפולייא אשר ממלכות נאפוליש ביום ארבעה עשר ערב חג הפסח שנת ר"נו ליעקב שמחה . „ Hicque explicit quod volui in hac re exponere. Sit laus Deo qui direxit ante me viam suam, et cujus gloria super me effulsit. Fuit porro finis ejus in urbe Monopoli provinciae Apuliae regni Neapolitani die XIV vespere solemnitatis paschatis anno *Cantate* (CCLVI) *Jacob laetitiam* „.

LIV

Idem Abarbanelis liber Zevàch pèsach seu Sacrificium paschatis, in fol. CPoli an. CCLVI, *Chr.* MCCCCXCVI.

Scabtaeus pag. 21, Wolfius tom. I p. 634, le Long tom. II pag. 802, Marchand cit. l., Maittaire tom. I pag. 624 et V parte I p. 3, Rodriguez de Castro *Biblioth. hisp.* tom. I p. 349. Auctores hi solum annum compositionis confuderunt, non editionis, quae etsi sine anno sit et loco, ex epigraphe tamen Nachalàd avòth constat eam una cum hoc libro et Rosc amanà ipsius Abarbanelis opera Davidis et Samuelis fil. Nachmias CPoli lucem vidisse ביום ה' ט' לכסליו שנת הר"סו *feria V die IX mensis chislev an.* $\overline{V}$. CCLXVI, idest sub finem novembris anni nostri 1505, non 1506, qui adhuc non erat incoeptus, ut minus recte tradiderunt hucusque omnes bibliographi. Igitur verus hujus editionis quae cum binis reliquis apud nos est, annus est 5266, quem perperam erroris accusat Wolfius in I volumine, sed recte restituit in III pag. 543.

MCCCCXCVII

LV

Pentateuchus cum Versione chaldaica, hispanica et nova graeca, et Commentario Rascii, in fol. Venetiis anno mundi $\overline{V}$. CCLVII, *Chr.* MCCCCXCVII.

Catalogus bibliothecae Schultingianae Amstelodami an. 1726 sub hasta divenditae num. 69 inter codices hebraeos pag. 7, ubi editio haec adhuc dicitur incognita. Sed ea est commentitia ac Pentateuchus hic est polyglottus ille qui cum iisdem versionibus CPoli prodiit anno 5307, Chr. 1547. V. Hermannum van de Wall qui Schultingianum ipsum exemplar contulit, Wolfium tom. IV pag. 102 et Masch tom. I p. 395. Nulla ejus anni et loci extant indicia, nec Venetiis eo anno ulla erat hebraica typographia, con-

tra qui proditur illius editor, Josephus sacerdos filius R. Isaaci Avigador ac reliqua omnia cum CPolitano illo Pentateucho adamussim congruunt. Quod Wallius injicit dubium, non legi ad calcem eam epigraphem quam profert le Longius, facile dispellitur. Ea non in calce quaerenda est, ubi legi perperam le Longius adnotat, sed in titulo, qui in Schultingiano exemplo deerat, in integerrimo nostro adest.

LVI

R. Isaaci Abarbanelis Majenè jescuàh, Fontes salutis seu Commentarius in Danielem, in 4. Neapoli an. CCLVII, Chr. MCCCCXCVII.

Wolfius tom. I p. 633, le Long tom. II p. 803, Maittaire tom. I nov. ed. p. 645 et V parte I p. 3, Marchand apud ipsum, Clement Bibl. cur. librorum rar. tom. I p. 8, Gerdesius Floril. pag. 1, Biblioth. lib. rar. univ. Suppl. vol. I p. 2, Boissi Disser. crit. vol. II p. 278. Wolfius qui Scabtaeum arguit compositionis annum cum anno editionis confundentem in Zèvach pèsach, in eundem ipse errorem lapsus est in altero hoc recensendo Abarbanelis opere quod revera eo loco et anno editum vidisse se testatur in Oppenheimeri bibliotheca. Suum hunc errorem ex ipso quem refert, Amstelodamensis editionis titulo emendare poterat clarissimus vir, in quo liber hic, ut ipsemet observat, ante annos 96 primum editus dicebatur. Hic innuitur editio anni 311, seu 1551, quam male CPoli Buxtorfius ac Scabtaeus aut a Soncinatibus Bartoloccius, recte Ferrariae Plantavitius aliique perfectam fuisse statuunt. Hanc ipsam editionem quam possidemus ac suo loco illustravimus in Commentario de typog. hebraeo-ferrar. p. 18, quamque primam esse auctores omnes consentiunt, vidit Wolfius apud Oppenheimerum, quae cum titulo careret legeretque sub finem libri initium ac complementum factum fuisse „ in urbe Monopoli quae est in Apulia regni Neapolitani provincia, die 1 mensis tebeth anno CCLVII „ verba haec quae auctoris sunt ejusque compositionem evidenter denotant, de libri editione interpretans, illam Neapoli anno 1497 exaratam credidit, crediderruntque ceteri bibliographi ejus fidem secuti. Sane in illius bibliothecae Catalogo a Seligmanno edito haec editio non legitur, ac folio 27 verso antiquior quae memoratur, editio est Ferrariensis illa anni 1551, quam Catalogus male CPolitanam appellat.

LVII

R. Isaiae Levitae Beth Levì, seu Domus Levi, in 4. sine loco anno CCLVII, Chr. MCCCCXCVII.

Ex Bartoloccio Wolfius tom. I p. 708 et III pag. 629, ex Wolfio vero ac Marchand Maittairius tom. I novae edit. p. 651 et V parte I pag. 515. Falsissima editio. Auctor obiit in Polonia anno 1695, teste R. Jacobo Aboab in epistola ad Ungerum, ut notat Wolfius posteriore loco, quamvis de prioris aerae falsitate pudendoque Bartoloccii anachronismo nihil subjiciat. Liber hic qui apud nos extat, idem est cum eo quem subdit Wolfius se vidisse Venetiis editum apud Laurentium Prodotto anno 423, Chr. 1663, eademque cum nostra editio. Sed errat in anno, qui est 426, Chr. 1666,

erroneaque illa Bartoloccii aera inde nata est, quod non integrum textum qui annum denotat, sed solum postremum vocabulum ברנה quod dat 257, in supputationem assumpserit, et quidem assumpserit etiam ב hujus vocis minusculum quod non erat supputandum.

LVIII

Proverbia cum Targum et Commentariis R. Levi Gersonidis et R. Menachem Meirì, in fol. an. CCLVII, Chr. MCCCCXCVII.

Wolfius tom. II p. 409, Maittaire tom. I novae ed. p. 645, Kennicottus Annua relat. collationis p. 105, Masch tom. I p. 146, Catal. Seligm. fol. 50, nosque ipsi olim De hebr. typ. orig. p. 57. Sed de majori supputatione orbis conditi interpretanda est aera vocis ברנה et ad an. 252, Chr. 1492 transferenda, ut monuimus in Appendice ad Bibliothecam Maschianam, in Apparatu heb. bibl., in Clavi codicum, et in hisce Annalibus p. 93.

LIX

Isaias ac Jeremias cum Commentario R. David Kimchì, in fol. Ulyssipone an. CCLVII, Chr. MCCCCXCVII.

Ita le Longius, Wolfius, Orlandius, Maittairius, Assemanus, Kennicottus, Maschius supra a nobis relati p. 96, quibus et nos olim accessimus De heb. typ. orig. p. 58. At vero vocabulum ברנה, quod et in hac editione occurrit, de majori aera, ut in praecedenti, intelligendum est, ut postea in Appendice ad Bibl. Masch. animadvertimus, ac p. 95 horum Annalium demonstravimus. Atque utramque editionem, hanc ac superiorem, recte ex Appendice nostra ad eum annum 1492 transtulit Maschius in Supplementis et in Indice chronologico deinceps excuso, quem nonnisi diebus proxime elapsis accepimus, sed in illa vitiosus annus irrepsit 5251, in hunc mendosa earumdem editionum repetitio ad annum 1497.

MCCCCXCIX

LX

R. Beniamini filii Mathathiae Zeev Liber Beniamin Zeev, seu Beniamin lupus, Quaesita ac responsa, 4. Venetiis an. MCCCCXCIX.

Catalogus biblioth. Bodlej. in fol. Lond. 1674 pag. 80, Wolfius tom. I p. 246, Orlandius parte II pag. 289, et Maittairius tom. I novae ed. p. 705. Ipso Orlandio teste floruit auctor anno reparatae salutis 1534, atque ut observat Azulai in I parte Scem aghedolìm fol. 13, nonnisi anno 294, seu eodem 1534, librum hunc composuit. Qui ergo editus dici potest Venetiis anno 1499? Venetiis equidem editus est anno judaico 299, Chr. 1539, ex cujus falsa supputatione factus est proculdubio annus ille erroneus 1499.

LXI

R. Abraham Seba Tzeròr ammòr, Fasciculus myrrhae, seu Comm. in Pentateuchum, in fol. Venetiis per Bombergum anno O. C. V. CCLIX, Christi MCCCCXCIX.

Rodriguez de Castro Biblioth. hisp. tom. I pag. 367. Bombergiana editio est anni 283, Chr. 1523, ex cujus aera male supputata non modo nostra haec orta est, sed et binae aliae Ve-

netae anni 1503 et 1513, quarum altera a Scabraeo, altera a Buxtorfio memoratur. Daniel Bombergus nullum librum excudit ante annum 1517, nec ullus Venetiis prodiit ante hunc annum hebraice impressus. Nec auctor ipse librum eo anno edere potuit, quo Judaeos ex Lusitania pulsos esse notat ad Levit. XXVI.

M D

LXII

R. Jacob ben Ascèr Commentarius in Pentateuchum, in 4. CPoli an. CCLX, Chr. MD.

Catalogus biblioth. Oppenheim. fol. 5 verso. Est editio falsa, seu CPolitana anni 274, Chr. 1514, quae apud nos extat, ex falsa supputatione ad eum annum translata. Ex binis enim verbis ברֵ̈ן יחד̈, quae integram dant aeram minorem et integra erant supputanda, eae solae litterae quae punctis praecise instruuntur, seu resc, nun, jod, in numerum ab editore assumptae sunt, quae annum illum dant 260.

LXIII

R. Mosis Maimonidis Logica cum duplici Commentario, in 4. Cremonae an. CCLX, Chr. MD.

Bartoloccius tom. IV pag. 106, Wolfius tom. I pag. 862, Maittaire tom. I p. 738 et V parte II p. 44, et ex eo Panzer Annal. typ. tom. I p. 352. Qui primus hanc editionem commemorat Bartoloccius, ex quo alii hauserunt, eam post Justinianaeam recenset anni 310, seu 1550, ut secundam factam Cremonae apud Vincentium Conti. Manifeste ergo eam confudit cum Cremonensi hujus libri editione anni 326, Chr. 1566, quae prodiit reapse apud eundem Conti et dicitur in titulo secunda. Esset autem tertia, si diversa alia praecessisset anni 1500, quum de Justinianaea nullus sit dubitandi locus. Nec ulla ea aetate hebraica typographia Cremonae erat erecta, ac nonnisi sero et multo post, seu post dimidium sec. XV hebraici libri illic imprimi coeperunt.

SINE ANNO

LXIV

R. David ben Jacob Coèn Migdàl Davìd seu Turris Davidis in 4. Thessalonicae sine anno, sed sub ipsa typographiae primordia.

„ Excusus, inquit Bartoloccius T. II p. 36, Thessalonicae regnante Amurrate Turcarum sultano anno impressionis ignoto, sed videtur fuisse circa initium inventionis artis typographicae. Nam Amurrath obiit anno 1450 „ seu potius 1451. Verum id quidem de Amurrate II, non de Amurrate III qui obiit anno 1595, de quo praestat, ait Wolfius tom. I pag. 311, epigraphem accipere, cum tam antiqua editio libri hebraici Thessalonicensis nulla extet. Ac mirum quidem est tantum virum qualis est Bartoloccius, ad priorem illum Turcarum imperatorem tamque incredibilem aetatem, qua non modo hebraica ulla, sed vix latina artis eaque non fusis, sed sculptis litteris primissima tentamina apparuerant, hebraicam Thessalonicensem editionem potuisse referre quae omnia praeseferebat recentioris aevi indicia. At ad neutrum jam Amurratem ea referri po-

test, quia prodiit, teste Scabtaeo pag. 38 et Wolfio tom. III p. 195, anno non ignoto, sed diserte expresso, 357, Chr. 1597, sumpto pro symbolo vocabulo כשאר, ac prohinde biennio post Amurratis III mortem ac regnante ejus filio Mahomete III qui illi successit.

LXV

R. Jehudae, dicti Messer Leon; Nòfed tzufìm seu Distillatio favorum 4. Coloniae sine anno.

Buxtorfius fil. in notis ad patris Biblioth. rabb. pag. 145, et Scabtaeus p. 53, ex futili conjectura. Est editio Mantuana Abrahami Conati, ut vidimus pag. 114, quae et a Bartoloccio male CPoli aut Thessalonicae adscribitur.

LXVI

Pentateuchus in 12. sine anno et loco, sed Brixiae vel Pisauri sec. XV.

Memorat Biblioth. Solgeriana T. III p. 384 et Maschius tom. I pag. 72, ut antiquissimam editionem ad finem XV seculi referendam, quae divina nomina per ד, ut in Bibliis Brixiensibus, exhibeat, a Soncinatibus Brixiae vel Pisauri expressam. Sed est proculdubio unus ex tribus Pentateuchis Brixiensibus, idest vel alteruter ex duobus qui annis 1492 et 1493 prodierunt, Aphtaroth et Meghillòth ad calcem mutilus, vel Pentateuchus separatus integrorum Bibliorum, ut supra ad secundum monuimus p. 98, ubi pro 1494 lege 1493.

LXVII

Prophetae priores ac posteriores cum Commentario Isaaci Abarbanelis, in fol. antiquissima editio sine anno et loco.

Wolfius tom. II pag. 397 et III p. 541, et ex Wolfio Maschius T. I pag. 135. Sed non existit et ipsissima est Pisaurensis anni 1511 et 1520, ut monui in Appendice ad Bibliothecam Maschianam pag. 32, cujus verba in Supplementis p. 79 descripsit Maschius, in postremo vero volumine seu Indice chronologico p. 189, hanc editionem supposititiis annumeravit. Suspicabar Wolfium exemplar titulo destitutum, qui annum et locum sistit et in vetustis exemplaribus saepe desideratur, habuisse prae manibus. At Oppenheimerianum quod is vidit, aperte in posterioribus Prophetis annum exhibet 280, seu 1520, teste hujus bibliothecae Catalogo fol. 1, qui tamen, ut supra vidimus, in referenda priorum aera insigniter erravit. Atque hic tertiae parti totique operi finem imponimus.



TYPOGRAPHI ET EDITORES HEBRAICORUM LIBRORUM SEC. XV.

Abraham filius Chajìm Pisaurensis ac professione tinctor. Edidit anno 1477 Gersonidis Commentarium in Job, Ferrariae anno 1479 R. Jacobi ben Ascèr Jorè dehà, Bononiae an. 1482 Pentateuchum cum Targum et Commentario Jarchi et v Meghillòth cum variorum Commentariis, tandem Soncini anno 1488 prima integra Biblia. A Josepho Chajìm Strasburg in epigraphe Bononiensis Pentateuchi tamquam vir in arte typographica celeberrimus et qui parem non habeat, laudatur.

Abraham ben Garton fil. Isaaci. Regii Calabriae, ubi institutionis gratia morabatur, suo marte typographiae artificium non sine magno labore didicit, ac Jarchii Commentarium in Pent., librum hebraicorum omnium primum cum certa anni nota impressum, anno 1475 vulgavit. Is praelo vacabat, non compositioni litterarum, nec ullus alius superest liber ab eo editus. Unicum etiam eumque singularem characterem adhibuit.

Abraham filius Isaaci filii David. Pent. editionem anni 1490 correxit et acrostico carmine quod ejus nomen pandit, commendavit.

Abraham Jedidià de Colonia, dictus Ezrachì seu indigena, Mantuae degens. Socium se Abrahamo Conato praebuit, ut Gersonidis Commentarius in Pent. ab eodem sine anno et loco, sed primaeva typographiae aetate exaratus promoveretur.

Abraham R. Talmid, seu Discipulus, Hispanus. Neapoli castigavit anno 1492 primam Miscnae edit. Maimon. Comment. stipatam.

Anonymi. Plures extant hebraicae editiones XV seculi, in quibus typographorum vel editorum nomina nulla comparent. Ex his aliae sunt quae certa praeseferunt indicia cui sint tribuendae, aliae incertissimae.

Azariel R. fil. Josephi. In ejus domo Neapoli curata anno 1491 Avicennae editio.

Beniamin de Roma. Simul cum Obadia et Manasse magnificam editionem parat Nachmanidis Commentarii in Pent. sine an. et l.

Bonfoi Salomon fil. Pèretz Gallus. Soncinensem editionem Mivchàr appeninìm an. 1484 a vitiis expurgavit, eique laudationis carmen et epigraphem subjecit. Petens deinde Neapolim, plagulas hic emendavit Chovàd allevavòth anni 1490.

Chajìm filius Isaaci Levitae Germanus. Ejus cura prodiit Neapoli anno 1487 Proverbiorum liber cum Commentario Immanuelis.

Chalphòn Josephus. Unus ex correctoribus vel artificibus celeberrimi Pentateuchi Ulyssiponen. a. 1491, qui rabbinicis typis nomen suum rythmicae illius epigraphi subdidit.

Chavìv (ben) R. Moses, celebris Judaeorum scriptor, anno 1488 correxit et edidit Neapoli Aben Ezrae Commentarium in Pentateuchum, in cujus epigraphe plenius se filium R. Scem Tòv ex familia ben Chavìv Hispani appellat, ex habitatoribus synagogae Ulyssip., peregrinantem Neapoli.

Conatus Abr. fil. Salomonis, Mantuanus primae aetatis typographus, non CPolitanus, ut perperam creditus est. Varia opera promulgavit ad quorum calcem solet se chavèr seu rabbini socium, medicum et multorum calamorum scriptorem sine ullo mirabili opere appellare. Sed annum ac domicilii locum in solo Orach chajìm expressit an. 1476, qui pro primo ejus foetu est habendus.

Conat Estellina, Abrahami uxor, Jacobi Levitae ope edidit, non designato an. et loco, sed sub ipsa typographiae incunabula et Mantuae Jedajae Badrescitae Bechinàd olàm.

David fil. R. Eleaz. Levitae. Soncini correxit an. 1489 Cholin et Niddà, assumpto correctionis socio Mardochaeo fil. Ruben, qui eum summopere laudat. Jam antea Chedubbòth ediderat, singulis editionibus monita praeponens, atque ut emendatiores redderet, mss. cod. conferens. Eleazaris erat filius, non Eliae, ut typ. err. excusum est p. 63, 66.

David et Samuel filii Nachmias, typographi CPolitani. Iis tribuitur editio Arbà turìm an. 1494, quae tamen suspecta est ac dubia. Varios illic libros impresserunt sub in. sec. XVI. David obiit statim post absolutum Maimonidis Jad an. 1509. Nam in Arùch katzèr quod an. seq. excudit ejus filius Samuel, patris nomini ut fato functi consueta benedictionis formula subjicitur.

Dortas don Samuel Ulyssiponensis. In ejus domo edita sunt a. 1492 Proverbia cum duplici, Gersonidis ac Meirii, Commentario.

Dortas Abr. ej. filius, maschil, seu intelligentis titulo condecoratus, Prov. textum disposuit et impressit.

Eliezer fil. Alanta. Produnt ejus nomen initiales acrostici carminis Jorè dehà 1487.

Eliezer fil. Samuelis. Maimonidis Jad emendavit quod Soncini prodiit an. 1490, eique epigraphem subjecit.

Eliezer Ulyssiponensis. In ejus typographia impressi an. 1489 Ulyssipone Nachmanidis Com. in legem et Avudrahàm, in quo laudes ei eximiae deferuntur.

Gabriel fil. Aaron Strasbourg. Fusa epigraphe tract. Beracòth an. 1484, primum Soncinatum librum, celebrat. Videtur frater Josephi Chajim, qui biennio ante Bononien. Pent. correctioni praefuerat.

Gerson filius Mosis patria Soncinas et ex Soncinorum familia quae cognomen suum ab oppido ipso assumpserat. Celeberrimo huic typographo plurimae debentur editiones hebraicae, sec. xv Soncini, Brixiae, Barci, sub in. xvi Fani, Pisauri, Arimini, Ortonae, Thessalonicae, CPoli factae. Germanice *mentzlen*, seu ut videtur, menschlein *homunculus* dicebatur, saepeque se filium Mosis *de semine Israel* appellat, quo nomine Israelem Nathanem avum suum subintelligit. Plenius genus suum explicat in tit. Michlòl CPoli editi anno xii Solimani seu 1532 et libri Mispàr R. Eliae Misrachì an. 1533, utrobique dicens se filium Mosis fil. Israelis Nathan fil. Samuelis fil. Mosis, qui in urbe Firth, seu Furthi cum fratre Joh. de Capistrano pugnavit, quinta a R. Mose Spirensi generatione qui in Tosephòth Tuch commemoratur. Subdit autem in priori titulo in Galliam se contulisse, Genevam et Camberium, ut mss. codices educeret quos praelo submitteret ac tres supra viginti talmudicos tractatus edidisse, ex quibus qui nunc reperiantur ac noti sint, qui deperditi vel ignoti, exponimus p. 137. Constat porro ex epigr. Jarchiani Comm. in Pent., quem Gerson noster Arimini curavit sine an., eum tres linguas calluisse, hebraicam, graecam, latinam, ac praeceptores Gallos habuisse, R. Belvenia Tarabòth Merabel et R. Mosem Bazla. Prima editio, in qua solum ejus nomen compareat, est Kotzensis Liber praeceptorum Soncini sub fin. 1488 vel in. 1489 ab eo excusus, ac patriam deserens post an. 1490, variasque urbes peragrans, binis verbis גר־שם, quae *peregrinum ibi* indicant, et *Gersòm*, proprium nomen plerumque exprimebat. Eum usque ad xii Solimanni annum seu 1530 vixisse ex Kimchii Michlòl hoc an. edito scribit Wolfius tom. I pag. 1030. Sed primo annus ille Solimanni, hoc nomine ii, non anno aerae nostrae respondet 1530, sed 1532, ut Wolfius ipse contra Bartoloccium animadvertit p. 306 in notis. Deinde vero illum usque ad an. 1533 vitam suam produxisse luculenter demonstrant bini libri hoc anno ab eo CPoli impressi, Sàhar Adonai R. Salom. Almoli, et Arithmetica R. Eliae Orientalis. De primo Wolfius tom. iii pag. 1027, de secundo pag. 102, ubi tamen patris, seu Mosis nomen oscitanter omittitur. Posterior liber dicitur absolutus an. 5294, Chr. 1534, quo anno obiisse Gersonem statuendum est. Nam Immanuelis Compositiones an. seq. edidit ejus filius Eliezer, ut et Cheder torà an. 1536, in cujus titulo defuncti formula patris nomini additur.

Jachia (ben) David fil. R. Josephi. Rythmica epigraphe, cujus initialibus nomen suum clausit, Pent. Ulyssip. an. 1491 ejusque artificum laudes descripsit, et ut videtur, a mendis repurgavit. Quod idem officium, post Lusitaniae expulsionem CPolim se recipiens, praestitit Maimonidis Jad illic anno 1509 excuso, fuso alio subjecto acrostico carmine. Primus qui illustri huic Jachiadum familiae nomen dedit, est don Jachia ben Jaisc. V. epigr. Cuzarì an. 1506, ubi ejus genealogia contexitur.

Jacob Levita Provincialis ac Taraconensis. Adjutorem se praebuit uxori Conati in edendo Bechinàd olàm.

Jom Tòv fil. R. Peretz Gallus. Neapoli correxit an. 1489 Kalonymi Evèn bòchen, et poetica epigraphe munivit.

Joseph fil. Jacobi Aschenazi seu Germanus. Plures ejus editiones Neapoli prodierunt, quarum agmen ducit Psalter. cum Kimchii Com. an. 1487. In Nachmanidis Sàhar aghemùl an. 1490 novum Guntzenhozer cognomen assumit, quod in reliquis omittit. Eum ejusque filium laudat Moses ben Chavìv in epigr. Com. Aben Ezrae an. 1488.

Josuas Salom. fil. Israelis Nathan Soncinas. Hujus celebris familiae primus qui hebraic. typographiam in patria aperuerit, primosque ejus foetus seu tract. Beracòth et Mivchàr appeninim an. 1484 in lucem protulerit. In ejus domo ejusque sumptibus edita sunt quadriennio post prima integra Biblia. Primum librum non modo prosaica epigraphe, sed et fuso poemate ornavit. Transferens se deinde Neapolim, ibi anno 1492 elegantissimam Miscnae editionem cum Maimonidis Com. procuravit, nec dubitandum quin sub Soncinatum nomine qui an. praecedenti Pent. cum Com. Jarchi illic ediderunt, is intelligatur, ac propterea non modo hic Pentateuchus, sed et Psal. Job Prov. an. 1490, et Biblia sine an. et loco, quae magnificentia ac raritate Soncinensia superant, nostro huic typographo debeantur.

Israel Nathàn fil. R. Samuel Soncinas, Josuae pater. Ejus consilio ac praecepto erecta est a filio Soncinensis typographia, ut constat ex 3 epigr. tract. Beracòth an. 1484, in qua sapientis titulo aliisque laudibus condecoratur. Extat apud nos autographus ejus

codex n. 1217 insignitus, qui Avicenniani Canonis Indicem complectitur ab eo digestum. Patet ex hoc codice eum incubuisse, studiis medicinae, ac Soncinorum cognomen in ejus familia jam invaluisse. Nam 1 f. se inscrib. ישראל נתן שונצינו Israel Nathan Soncinus.

Kolodrus Samuel. Ejus jussu et sumptibus in Lusitania edita an. 1492 Proverbia cum duplici Com., ubi sapiens excell. vocatur.

Kozì R. Mesculldm. In ejus domo ejusque studio coepta est Plebisacii ac promota editio IV Ordinum R. Jac. b. Ascèr an. 1475, quae de primatu cum Jarchiana Regii Calabriae contendit. Quum enim IV constet voll. ac triplici characterum genere, videtur nostrae origo paullo antiquior. Obiit, dum typogr. operae urgebantur, coactique ejus filii supremam operi manum imponere.

Kroveta Josephus. Suo aere promovit Bononiae anno 1482 primam Pent. editionem, paratis typis mercedeque conductis artificibus.

Lando R. Jacob Barùch fil. Jehudae Germanus, sed in Italia degens. Ticini Visionem composuit, Neapoli vero a. 1487 Psalt. cum Kimchii Com. correxit suumque librum Agur paucis post annis promulgavit.

Lando Abr. fil. Jacobi, typotheta et unus ex artificibus qui in Neap. Avicennae editione operam suam praestiterunt.

Latef R. Samuel fil. Meir. Neapoli Kimchii Radices an. 1490 diligenter ad mss. codicum sacrique textus fidem recensuit, subjecta epigraphe ac versibus nonnullis qui in sacris Bibliis non extabant vel aliter legebantur. Inedita quaedam ejus Carmina ejus manu conscripta servat codex meus 937.

Mardochaeus fil. R. Ruben ben Basla. Davidis Levitae socius in emendando Soncini tract. Cholin an. 1489. Emendavit et Niddà ej. anni, ubi צרפתי seu Gallum se appellat.

Mintza Ascèr fil. Pèretz. Male ejus cognomen transposito jod de Nizza, seu Niceensem legerunt Bartoloccius ac Wolfius. Typotetham se vocat, ac Neap. edidit an. 1491 Avicennae Canonem hebraice translatum.

Montro Chajim, Mardochaeus, et Ezechias. Abbreviatum cognomen Montros aut Monteros forte legendum, vel alia littera supplenda eorum aetate notissima, modo ignota et incerta. Ii cum Josepho Veneria nomen suum immortalitati consecrarunt in prima sacri textus editione, seu Psalterio anni 1477.

Obadias fil. Mosis. Legitur ejus nomen in splendida Maimonidis editione libri Jad, quae quadrato charactere prodiit sine a. et l.

Obadias, Manasses et Beniamin de Roma. Iis debetur praestantissima et antiquissima Nachmanidis edit. in Pent. sine a. et l. litt. quadratis. Obadias forte idem cum praeced.

Piso (aben) R. Joseph Hispanus. Unus ex correctoribus Miscnici corporis Neapoli editi an. 1492, idemque, ut opinor, quem p. 300 Nomolog. laudat Aboab et Wolfius T. I p. 555.

Salò (de) seu Salodiensis Nathan. Acrostico carmine de absoluto Gersonidis Com. in Job an. 1477 supremo gratias numini reddit.

Salomon fil. Jehudae. Obadiae filii Mosis socius in edendo Maimonidis Jad sine a. et l.

Salomon fil. Mosis Soncinus, Gersonis frater, sine die et consule, sed Soncini circa 1490 R. Jac. b. Ascèr Ordines typis expressit.

Salomon fil. R. Pèretz. Neap. ed. Chovàd allevavòth an. 1490 maxima diligentia castigavit, a Josepho Aschenazi ob id summopere laudatus, qui eum appellat titulo chavèr, et celebrem in universa terra.

Samuel fil. Samuelis de Roma. Per ejus manum excusa sunt Neapoli an. 1487 Job et reliqua Agiographa cum Com. variorum.

Soncinates typographi. Plures ii fuerunt, unius ejusdemque omnes familiae genere Germanae ac Spirensis, sed diu in Italiam translatae quae a patria ipsa Soncinorum cognomen acceperat. V. *Israel Nathàn, Josuas Salomon* ejus filius, *Gerson fil. Mosis, Salomon* ejus frater. Sub nudo eo nomine Soncini ac Casali majore Machazor aliosque libros excuderunt, docti ii quidem, diligentes, celebres, sed non primi Judaeorum typographi, ut hucusque habebantur. Post annum 1490 patriam deserentes, varias peragrarunt provincias et urbes, suam tamen artem Bononiae non exercuerunt, ut putant Bartoloccius, Chevillerius ac Wolfius, multominus in Lusitania, ut Maittairius, nec primi fuerunt, qui eam CPolim transtulerint, ut idem Wolfius tom. II p. 947 conscribit.

Strasburg Joseph Chaiim fil. Aaron Gallus. Bonon. Pent. an. 1482 a mendis repurgavit, eique fusam laudationis adjecit epigraphem. Frater est Gabrielis filii Aaronis Strasburg, de quo supra diximus, idemque videtur cum Josepho Tranburg, quem Bononiae nostra hac aetate floruisse perhibet Scalscèled f. 62.

Tzorba R. Samuel Ulyssiponensis, a Wolfio, Marchando, Maittairio male R. Arbà denominatus. In ejus aedibus absolutus dicitur Ulyssipone anno 1489 Nachm. Com. in Pent.

Veneria magister Joseph Italus. Ejus opera ac soc. prodiit an. 1477 prima Psal. editio.

Zachaeus fil. Eliezer. Ulyssipone impressit elegantissimis typis et accuratissime anno 1491 Pentateuchum chald. Onkelosi Paraphrasi ac Jarchii Commentario nobilitatum.

Zalmathi Salomon fil. R. Maimon. Aere suo luci demandavit an. 1490 Pent. sine punctis cum Targ. ac Com. Jarchi, binisque acrosticis carminibus instruxit.

URBES AC LOCA

IN QUIBUS FACTAE SUNT HEBR. EDIT. XV SEC.

Anonymae. Non paucae extant editiones quae locum non praeseferunt, nec certa ejus indicia, inter quas quadratae sine an. et l.

Barcum in prov. Brixiana. Jud. precum librum hic an. 1496 edidit Gerson Soncinas.

Bononia. Heb. typographiam in hac urbe suo aere erexit an. 1482 Joseph Krovera ex qua opera Abr. ben Chajim Pisaurensis binae prodierunt editiones, Pent. ejus anni et v Megh. Quae proferuntur antiquiores, Sphorni Or ammim 1471 et Arisbae Toledòth adam 1478, supposititiae sunt et ad in. sec. XVI amandandae, quo ea revixit et ad dimidium fere sec. perduravit.

Brixia. E Soncino huc typos suos traduxit Gerson et ab an. 1491 ad 1495 varias editiones, praesertim biblicas, promulgavit.

Casale majus. Absolutissimum jud. precum Breviarium ital. ritus in patria coeptum hic an. 1486 perfecerunt Soncinates, hacque eadem aetate ib. R. Isaacum Igheram suum fixisse domicilium tradit Scalscèled fol. 62.

CPolis. Plures isthic XV sec. factae traduntur editiones hebr., sed falsae omnes. Unica dubia sed valde suspecta.

Ferraria. Patet ex Jorè dehà an. 1479 ibi typographiam suam fixisse Abr. ben Chajim, quem et verisimile est biennio ante illic Gerson. Com. in Jobum vulgasse. Hi duo libri XV sec. Ferrariae excusi, at XVI quamplures quos in Com. de typ. hebr.-ferrar. fuse descripsimus.

Iscàr vel *Iscòr*. Incerta urbs quae videtur in Lusitania quaerenda et forte Saurium esse, non italica Sorae insula. Ab an. 1485 ad 1491 varii libri in ea editi.

Italia. Ut graecae, ita heb. typographiae originis laus ei debetur, non Germaniae vel Eslingae. Diss. prael. §. XIII, XIV, XV.

Leiria. Binae hic an. 1492 et 1494 biblicae editiones typis expressae, elegantes variisque Com. instructae, opera Abr. Dortas.

Mantua. Sex in hac urbe libros prima heb. typogr. aetate seu a 1476 ad 1480, edidit Conatus, omnes sine an. et l., unico excepto Orach chajim, ex cujus epigr. tandem innotuit eum Mantuae, non CPoli aut Coloniae typogr. artem exercuisse. In. sec. XV refloruit illic typographia heb. et usque ad hanc diem perdurat.

Neapolis. Ab an. 1487 ad 1493 octodecim opera a variis Judaeorum typographis reperiuntur Neapoli heb. excusa. Alia quaedam falso illi adscripta.

Plebisaccum vel *Plebisacium*, vulgo *Pieve di Sacco*, Patavinae prov. oppidum, quod heb. typ. primatum contendit Regio Calabr. Cum edit. Arbà turim in eo curata, sit jam an. 1475, non 1474, ut hucusque credebatur, saltem an. 1474 vel 1473 inveniri, formari, adhiberi debuerunt ab Abr. Kozì typi heb. varii generis, quibus insigne illud opus constat, potissimum quum ejus obitus intercesserit, nec exiguum tempus quo Regiensis ed. nostram superat, sufficiat imprimendis 3 voll. quot nostra superat Regiensem.

Regium Calabriae. Si ratio habeatur temporis quo heb. typi ac libri primum in lucem comparuerunt, prima est nostra haec urbs in qua id factum sit. Debetur ei primus heb. typ. foetus a nobis detectus, Jarchii videl. Com. in Pent. qui an. 1475 paullo ante Plebisaccense Arbà turim Abr. ben Garton opera illic lucem adspexit.

Soncinum. Mediolanensis ducatus oppidulum, quod ut recte notat Maittairius, sui nominis obscuritatem artis ibi excultae celebritate dispulit, diuque sed perperam, a Judaeis ac Christianis bibliographis tamquam primaria heb. typorum sedes est habitum. Soncinensem enim typographiam plures aliae Regii Calabriae, Plebisacci, Mantuae, Ferrariae, Bononiae, aliisque in urbibus erectae praecesserunt. Soncini tamen haec est laus quod ars haec si non inventa aut primum exculta, ad maximam sane perfectionem et splendorem est evecta cel. Soncinatum opera et ingenio qui illic floruerunt et per integrum sexennium, seu ab an. 1484 ad 1490 plures eximios libros promulgarunt. Ex his qui aetatem ferunt ac dignoscuntur, octodecim illustrantur. Bini male attributi.

Ulyssipo. Quinque diversae editiones heb. extant in principe hac Lusitaniae urbe elaboratae quae typorum elegantia ac correctione reliquis omnibus praestant ac solent a Judaeis ac Christianis summopere celebrari. Praeter has urbes aliae quaedam sunt, ut *Amstelodamum*, *Ariminum*, *Colonia*, *Cremona*, *Monopolis*, *Ortona*, *Pisaurum*, *Thessalonica*, *Venetiae*, quibus a bibliographis solent heb. editiones XV seculi assignari, sed ut ex Parte III nostrorum Annalium constat, adulterinae ac falsae.

HEBRAICAE EDITIONES SEC. XV
QUAE IN HIS ANNALIBUS RECENSENTUR
ET ILLUSTRANTUR.

PARS I

EDITIONES ANNO INSIGNITAE

PARS II

EDITIONES ANNO DESTITUTAE

PARS III

EDITIONES FALSAE AC SUPPOSITITIAE

INDEX ALPHABETICUS AUCTORUM

QUORUM HEB. OPERA XV SECULO

PRODIERUNT.

Pag.

